

La présente édition suit, pour l'essentiel, celle de Wintenberg, de 1579. Nous n'avons pu, pour des raisons techniques, conserver, des nombreux vers en Grec que contient cet ouvrage, que les plus courts et les plus lisibles, en les transcrivant.

PHILIPPI MELANTHONIS EPIGRAMMATUM LIBER PRIMUS.

DETESTATIO NEGLENTIAE EX CAPITE 17. EXODI

E_1_1 v.1 Acer Idumaeus loca per deserta vagantes
 2 arcere Hebraeos finibus ausus erat.
 3 Conservitque manus, sed Moses arma suorum
 4 adjuvat, et precibus proelia magna ciet
 5 et vincit quoties palmas ad sidera tendit,
 6 quemque vocat, coram sentit adesse Deum.
 7 Brachia sed quoties iterum lassata remittit,
 8 cogitur Hebraei cedere turba Ducis.
 9 Ergo die toto dum fusus pellitur hostis,
 10 erectas palmas ut tenuisse queat :
 11 subicitur cubitis orantis saxea moles,
 12 sollicitoque suis corde petentis opem.
 13 Sic quoties curamque precesque remisimus ipsi,
 14 otia securis insidiosa nocent.
 15 Illecebrae vacuas subeunt dulcedine mentes,
 16 et facile in vitium pectora prona trahunt.
 17 Exacuant igitur tot nostra pericula curas
 18 propositae nobis exitiique viae.
 19 Nec quisquam putet his se emergere posse procellis,
 20 auxilium praesens ni Deus ipse ferat.
 21 Conditor aeternus vera est tibi voce rogandus,
 22 hunc tamen ut places, ara petenda tibi est.
 23 Nulla est grata Deo, nisi Christus filius, ara,
 24 qui luit officio crimina nostra suo.
 25 Huic impone manus, huic toto incumbito corde,
 26 ad patrem nostras perferet ille preces.

IMAGO ECCLESIAE, EXODI 33. MOSES STANS IN CAVERNA RUPIS,
 AC VIDENS TERGUM DEI PRAETEREUNTIS.

E_1_2 v.1 Insita sunt animis nostris ab origine prima
 2 notitiae auctoris semina vera Dei :
 3 impositum ut nobis Dominum sciremus, et ejus
 4 immotae legi subdita vita foret :
 5 heu cur has flammis, divinae extinguere lucis
 6 tam multi obliti seque Deumque solent :

7 justaque legitimae conturbant foedera vitae,
 8 contemptoque ruunt in scelus omne Deo.
 9 Sed paucos tamen haec accensa in pectore flamma
 10 permovet, ut vitae munera justa colant.
 11 His novisse Deum propius, coramque, videre,
 12 quantum concedet, maximus ardor inest.
 13 Ergo etiam Moses vultus in lumine claro
 14 monstratos Domini cernere posse rogat.
 15 Sed docet et Mosen et nos, totumque piorum
 16 agmen, ubi agnosci, se Deus ipse velit.
 17 Non haec pigra hominum concreta ex pulvere moles,
 18 insuper et vitiis squalida facta suis,
 19 sustinuisse potest divini incendia vultus,
 20 cum sordes nostras Judicis ira videt.
 21 Ergo jubet Mosen sublimi insistere rupi,
 22 illius et latebris se tenuisse cavis.
 23 Hac ego praeteriens, inquit, dabo terga videnda,
 24 sic ut et interea te mea dextra tegat.
 25 Nos quoque in immota docuit consistere rupe,
 26 amplecti Gnatum dum jubet ipse suum.
 27 Et latebrae nobis subeundae Ecclesia sola est,
 28 in qua Evangelii dogmata pura sonant.
 29 Namque Deus transit per Mundi saecula cuncta,
 30 ut coetus aliquos jungat et ipse sibi.
 31 Nec genus humanum quod imago debuit esse
 32 auctorem referens, omne perire sinit.
 33 Quosque sibi adjunxit, locat uno in vertice cunctos,
 34 nemo illum ex alia cernere sede potest.
 35 Hi vocem agnoscunt, et facta ingentia dextrae,
 36 praesentemque vident semper adesse Deum.
 37 Exspectantque olim venturae gaudia vitae,
 38 et bona quae nullo sunt peritura die.
 39 Tunc nec erunt discedentis vestigia tantum,
 40 nec tantum longe terga videnda Dei :
 41 sed fulgore novo propius spectabimus ora,
 42 colloquio dabitur perpetuoque frui.
 43 Arcanas causas inspecto fonte sciemus,
 44 et gratae mentes munera tanta canent.
 45 Interea bellis lacerantur regna, suasque
 46 in poenas fato mundus ubique ruit.
 47 Ac velut aggestis Titanas montibus ausos,
 48 ad sublimem arcton scandere fama refert,
 49 Conatosque astris extinctis, omnia rursus
 50 in vetus et caecum vertere mixta chaos :
 51 Turcica sic rabies passim sese impia jactat :
 52 adversus gnatum bella movere Dei.
 53 Denique cum variis quatiatur motibus Orbis,
 54 exercent Christi multa pericla gregem,
 55 sed tamen hos inter terrores, fataque mundi
 56 dextra pios coetus proteguit ipsa Dei.

DE VAGIENTE ECCLESIA.

E_1_3 v.1 Aeterni de mente patris sapientia nata,
 2 in qua Mundi operum fulsit idea novi :

3 et quae distinxit pulcherrima corpora rerum,
 4 et iussit formas singula habere suas :
 5 haec eadem in parvis vagit sapientia cunis,
 6 naturae nostrae membra tenella gerens.
 7 Sic quamquam infundit se nostra in pectora, nobis
 8 nondum se totam cernere posse dedit.
 9 Ut tamen in nobis sint tantae exordia lucis :
 10 tamquam vagitus dogmata prima sonat.
 11 Non spernis, quamquam infirmos, si debita credant
 12 Te "luxa" pro nobis, Christe, dedisse patri.
 13 Ah precor infirmis adsis ut mentibus, atque
 14 doctrinae foveas semina sparsa tua.
 15 Dum tua se totam pandet sapientia nobis,
 16 atque patrem clara luce videre dabit.
 17 Quando mortali solventur carcere mentes,
 18 et duce te caeli culmina celsa petent.
 19 Christe, tuo exsulibus patriam tu sanguine reddis,
 20 nulla venit nobis Te nisi dante salus.

DE NAVI CHRISTI, QUAE EST ECCLESIA DEI.

E_1_4 v.1 Auricomum vellus postquam transvexit Iason
 2 in patriam, sperans debita regna sibi,
 3 oppressit Dominum navis de culmine lapsa,
 4 sed qua defessus jam cubat ipse domi.
 5 Non te, Christe, tamen tua, quam regis, opprimet Argo
 6 quamvis et rimis est lacerata suis.
 7 Tum quoque cum fluctus ciet imo ex gurgite Orion,
 8 et rapidi venti proelia saeva movent.
 9 Quassatam medio in pelago tua dextera servat,
 10 et vere es nautis ancora sacra tuis.
 11 O viva effigies aeterni, luxque parentis,
 12 defendas coetus, optime Christe, tuos :
 13 qui tua non ficta discunt oracula mente,
 14 atque tuo poscunt Numine semper opem.

IN TABULAM ECCLESIAE DEI SUB IMAGINE ALCYONUM,
 DESCRIPTAM CARMINE A MARTINO SOCOLOVIO.

E_1_5 v.1 Fluctibus in mediis pariens Ecclesia quare
 2 alcyonum similis sit, tabula ista docet.
 3 Illa sed est aliis etiam depicta figuris :
 4 naturae impressit plurima signa Deus.
 5 Nidus humi jacet inter saxa Hypolaidos, in quem
 6 ignavus Coccoyx ova fovenda locat.
 7 Cumque diu pavit cuculum officiosa voracem,
 8 nec tamen ingluviem jam saturare potest :
 9 tum sibi servatae solvens mala praemia vitae,
 10 nutricem cuculus devorat ore suam.
 11 Sic pia se praestans Thammero Ecclesia matrem,
 12 serpentem proprio nutriit ipsa sinu.
 13 Non timet in matrem crudeles vertere morsus,
 14 ille nec esse Deum, qui videt ista putat.
 15 Gnate Dei, prohibe, proprii defensor honoris,

16 visceribus cuculos se satiare tuis.

DE MOSE PERCUTIENTE PETRAM.

E_1_6 v.1 Qua regione Arabum fines Sinaia rupes
 2 claudit, et incultas aspicit alta plagas :
 3 aegra siti lymphas mediis quaerebat arenis
 4 gens ex Isacidæ semine nata patris.
 5 Et quamquam passim terram effodere perustam :
 6 nulla ibi larga tamen vena reperta fuit.
 7 Jamque animas exhalabant, siccata labellis
 8 dum matrum infantes ubera forte trahunt.
 9 Exspirantque simul matres tristisque sepulcri
 10 munere maternus fungitur ipse sinus.
 11 Hic iterum subeunt animos nova taedia vulgi,
 12 paenitet et varias deseruisse domos.
 13 Nec tamen accusant Mosen, sed grandius addunt,
 14 quo premat immeritos, crimen habere Deum.
 15 Scilicet hæc miseris nimium vulgata querela est,
 16 justa sed est semper iudicis ira Dei.
 17 Et quamquam sontes punit, tamen inter eosdem,
 18 servat reliquias agminis ipse sui.
 19 Ergo jubet Mosen percussa educere rupe,
 20 pro populo undarum flumina larga suo.
 21 Obsequitur Moses, nova sed confusio mentem
 22 turbat, et aggresso diriguere manus.
 23 Et, cujus numquam pectus trepidaverat ante,
 24 si quando fuerant iussa obeunda Dei.
 25 Jam veluti navis scopulis illisa fatiscit,
 26 sic rupem aspiciens, excidit iste sibi.
 27 Et ferit, et dubitat, sed mox se colligit ipse,
 28 et vigor, in pectus, qui fuit ante, redit.
 29 Ergo ardens iterum rupem Sinaida pulsat,
 30 et baculo cogit cedere saxa suo :
 31 quodque riget late loca vasta, effundere flumen,
 32 unde sibi dulces hauriat agmen aquas.
 33 Hoc Deus exemplo monstrat se pascere egentes,
 34 quos ad militiam deligit ipse suam.
 35 Sed tamen et majus quiddam spectacula tanta
 36 significant, multum quod meminisse juvat.
 37 Legifer ut Moses est jussus scindere rupem,
 38 sic propter Legem vulnera Christus habet.
 39 Lex immota manet : peccatum punit, et odit,
 40 proponitque iræ plurima signa Deus.
 41 Verum, ne prorsus natura humana periret,
 42 neve hæc frustra esset condita imago Dei :
 43 pro nobis Natus patris intercessit, aditque
 44 poenam, quam justa sanxerat ira Dei.
 45 Lex igitur Christum insontem percussit, et inde
 46 manarunt vitæ flumina grata nova.
 47 Cur autem trepidat Moses ? Praesagia luctus,
 48 venturo in populo tunc pavor ille fuit.
 49 Quæ legem, vocemque Dei gens audiit una,
 50 hæc Christo Domino est injicere ausa manus.
 51 Venturum scelus hoc exhorrent pectora Mosis,

52 et nondum noto mota dolore stupent.
 53 Saepe duces populi feriunt te, maxime Christe,
 54 anteferunt dictis cum sua jura tuis.
 55 Et caeci decus esse putant non solvere leges,
 56 quas decuit voci cedere sponte Dei.
 57 Est virtus leges, et morum vincla vereri,
 58 si tamen et legum regula Christus erit.

DE CANTIONE ANGELORUM. GLORIA IN EXCELSIS DEO ETC. ANNO 1539.

E_1_7 v.1 Quare ad pastores primum vox nuntia venit,
 2 Angelicus summa quam tulit arce chorus ?
 3 Nempe ut praecipue pastores carminis hujus
 4 gentibus auctores esse ducesque velint.
 5 Ut summo patri veri reddantur honores,
 6 et toto fiat notus in orbe Deus.
 7 Ac late in mundo spargantur munera Christi,
 8 quae sunt placati pignora certa patris.
 9 Et curent, ut sit pacata Ecclesia Christi,
 10 concordique regant ore, fideque gregem.
 11 Sit procul a Christi discordia saeva ministris,
 12 namque Deus poterit, non nisi pace coli.
 13 Nulla lues ovibus tantum, non ulla venena,
 14 quantum pastorum dissidia ipsa nocent.
 15 At generi humano tunc aurea vivitur aetas,
 16 tunc animi capiunt gaudia vera pii.
 17 Cum summi patris est vere patefacta voluntas,
 18 et cum nos curae novimus esse Deo.
 19 Cumque una Christum tranquilla Ecclesia voce
 20 concinit, et studio laudat ubique pari.
 21 Haec praecepta canit coetus pastoribus ille,
 22 officii memores et jubet esse sui.
 23 Quod quicumque facit, bona vera et maxima cunctis
 24 affert, quaeque aetas nulla abolere potest.
 25 Et quoniam angelicum mortalibus incohat hymnum,
 26 in terris vere est Angelus ipse Dei.

CUR NOS CURET ET SERVET DEUS.

E_1_8 v.1 Non Deus ostendit se tantum ut corpora curet,
 2 sed cur servari nos velit, ipse monet.
 3 Scilicet ut sese nobis communicet ipse,
 4 semper et ut vivant pectora plena Deo.
 5 Tunc autem in nobis fulget, tunc pectora complet,
 6 mens pia cum discit munera nosse Dei.

DEUS EST CASTA MENS.

E_1_9 v.1 Casta Deus mens est, casta vult mente vocari,
 2 et castas pondus jussit habere preces.
 (4 vers en Grec)

BENEDICTIO MENSÆ.

E_1_10 v.1 Hic epulis donisque tuis bene dicito, Christe,
 2 ut foveant jussu corpora fessa tuo.
 3 Non alit in fragili panis modo corpore vitam,
 4 sermo tuus vitæ tempora longa facit.

GRATIARUM ACTIO POST SUMPTUM CIBUM.

E_1_11 v.1 Postquam epulis exempta fames, mensaque remotæ,
 2 dicemus grates nos tibi summe pater.
 3 Non hæc humanas vires alimenta juvabunt,
 4 Divina si non hæc foveantur ope.
 5 Namque tuo vivunt agitata a Numine cuncta,
 6 adflatu spirant cuncta, valentque tuo.
 7 Nunc etiam gratis animis alimenta ministra,
 8 atque immortalis pectora pasce cibo.
 9 Et quia cura sumus tua, nos pater optime serva,
 10 et studia et vitæ tempora cuncta rege.
 11 Cumque epulas dederis rerum pater optime nobis,
 12 adde epulis vires pro bonitate tua.

DISTICHON.

E_1_12 v.1 Ut tua pertingat, penetretque precatio caelum,
 2 ardenti fiat speque fideque frequens.

IN DECALOGUM.

E_1_13 v.1 Divino praecepta puer si prodita ab ore,
 2 et facies casto pectore jussa Dei :
 3 ipse pater vitæ cursum moderabitur omnem,
 4 nec fortuna tibi saeva nocere potest.

IN GENESIN.

E_1_14 v.1 Non caeco casu natura humana sine ullo
 2 consilio, ex veteri prodiit orta chaos.
 3 Nec deinde est lapidum temere de mole renata,
 4 quos jecit monitus Pyrrha secuta viri.
 5 Magnum opus est, ad quod nos mens aeterna creavit,
 6 ut nostro studio notior esse queat.
 7 Ac in nos haustam proprio de pectore mentem
 8 fudit, et effigiem jussit habere sui.
 9 Ah cur auctoris subeunt obliviam nobis ?
 10 Unde homini tanti venit origo mali ?
 11 Sed Deus ipse sua depellit luce tenebras,
 12 et quæ sit vitæ norma sequenda docet.
 13 Audiit hanc caelo delatam Ecclesia prima,
 14 et Deus hos fontes semper adire jubet.

IN HISTORIAS REGUM.

E_1_15 v.1 Hanc speculum vita ducas, morumque magistram,
 2 quae libris istis traditur, historiam.
 3 Praemia justorum monstrat, poenasque nocentum,
 4 et praesens regnis numen adesse Dei.
 5 Et dubiam vitae sortem, ac incerta pericla,
 6 non tantum humana calliditate regi :
 7 sed custode Deo casus superabimus omnes,
 8 placatum pietas si modo nostra facit.
 9 Et quibus officiis possit flectique colique,
 10 hic exempla liber justa sequenda dabit.
 11 Sit licet utilitas res gestas nosse profanas,
 12 utilior tamen est perlegere ista labor.

IN PROPHETAS.

E_1_16 v.1 O utinam Vatum praeconia dicere possem,
 2 accendit quorum pectora pura Deus :
 3 doctrinae ut lucem renovarent, atque docerent
 4 quis summo patri sit tribuendus honor.
 5 Hi populum in rebus dubiis rexere, levantes
 6 consilio gentis multa pericla suae.
 7 Venturum aeterni natum cecinere parentis,
 8 crimina ut ablueret nostra cruore suo.
 9 Hunc propter recipi docuerunt vota, precesque
 10 hoc duce jusserunt Numen adire patris,
 11 censuraque sua frenarunt saepe Tyrannos,
 12 et populi mores continuere sui.

IN DANIELEM PROPHETAM. (14 vers en Grec)

E_1_17 Graece versus scripti.

IN PSALMOS DAVIDIS

E_1_18 v.1 Si qua Dei puram tangit reverentia mentem,
 2 et justo Christi nomen honore colis :
 3 si quo res e fonte fluunt, quod et omnia numen
 4 et regit et servat, cernere mente soles :
 5 haec puer illius veneranda oracula disce,
 6 Jessaeae quondam quae sonuere fides.
 7 Illius ut Mosi per rupem gloria visa est,
 8 panditur hoc etiam carmine, crede puer.

ALIUD IN PSALMOS

E_1_19 v.1 Saxa ferunt Vatem traxisse Amphiona cantu,
 2 ut strueret Thebis moenia prima suis.
 3 Majus opus fieri Davidis carmine constat,
 4 qui trahit ad summum pectora nostra Deum.
 5 Nunc servatoris narrat praeconia Christi,
 6 quem canit aeterno de genitore satum.

7 Nunc apte gemitus, et verba precantia tradit,
 8 ad summum patrem quae tua vota vehant.
 9 Nunc justas vitae leges, poenasque malorum,
 10 et promissa canit praemia magna piis.
 11 Haec igitur cithara est ad tempora quaelibet apta,
 12 auroque in manibus semper habenda piis.

PSALMUS CXXVII. NISI DOMINUS AEDIFICAVERIT DOMUM.
 QUI DOCET DEUM CUSTODEM ESSE VITAE NOSTRAE ET GUBERNARE TOTUM VITAE CURSUM.

E_1_20 v.1 Quo struis et caelo certas educere molem,
 2 frustra erit, hoc condant ni Deus auctor opus.
 3 Quo vigilas, urbemque tuo vis Marte tueri,
 4 falleris, excubias ni Deus intus agat.
 5 Et quamquam gratos somnos abruperis, ante
 6 quam revehit clarum, lucifer ipse diem :
 7 longa dies quamvis tristi consumpta labore est,
 8 ac operae partem nox quoque sera trahat.
 9 Nil tamen assiduae prosunt curaque laborque,
 10 si non aspirent numina summa tibi.
 11 Servat, alitque pios rerum pater optimus, inde
 12 commoda sunt vitae cuncta petenda tibi.
 13 Non Domus ipsa sibi, non urbs creat ipsa patronos,
 14 felices cives datque facitque Deus.
 15 Impetus est qualis volucris, rapidaeque sagittae,
 16 figitur in jusso quae procul acta loco :
 17 sic quocumque rapit divinus spiritus illos,
 18 virtuti cogunt cedere cuncta suae.
 19 Non fortuna viros, non virtus deserit umquam,
 20 moenia nec patria sunt ruitura piae.

PSALMUS LXVI. IUBILATE. QUI INVITAT AD FINEM, ET DOCET NOS DEO CURAE ESSE.

E_1_21 v.1 Huc agite, o populi, summumque agnoscite patrem,
 2 illius et laudes carmine ferte pio.
 3 Et vos qui primi redeuntem cernitis undis
 4 Eoo Solem ducere ab orbe diem.
 5 Et vos qui revehi tenebras, noctemque videtis,
 6 Oceano fessos Sol ubi mergit equos :
 7 quem colimus vere esse Deum, rerumque parentem.
 8 Discite, et illius numine cuncta regi ;
 9 non nati casu, non casu vivimus ipsi,
 10 condidit, et factos servat, alitque Deus.
 11 Ille iter incertum vitae, cursumque gubernat,
 12 illius vere curaque, grexque sumus.
 13 Has laudes puerique Deo cantate, senesque,
 14 hic honor, haec summo victima grata patri est.
 15 Hinc sperare animis audete, et poscere certum
 16 auxilium, tristi tempore quisque sibi.
 17 Nam bonus est Deus, et miseros auditque, juvatque
 18 qui credunt ejus se bonitate tegi.

EX PSALMO CXIX. IN AETERNUM DOMINE PERMANET VERBUM TUUM, ETC.

E_1_22 v.1 Sermo tuus numquam pater occidit irritus, et non
 2 spem fallit mentis, destituitve piae.
 3 Nulla potest umquam tua dicta abolere vetustas :
 4 sic durat verbo condita terra tuo :
 5 quodque indefesso cursu caelum omne pererrat,
 6 et Sol formosum fertque refertque diem.
 7 Descripsere vices illis tua jussa, viamque
 8 servat enim verbum cuncta regitque tuum.
 9 Paene ego crudeli fueram hosti praeda futurus,
 10 vitaque in aeternam noctem abitura fuit.
 11 Ni tua vox animam fugientem sola teneret,
 12 quae te affirmat opem ferre solere piis.
 13 Haec me tela inter fiducia texit, et enses,
 14 addidit et vires haec medicina novas,
 15 nulla tui nobis venient oblivia verbi,
 16 nec meriti fiet gratia vana tui,
 17 et fidum miseris portum Verbum esse canemus.
 18 Nam sermone tuo reddita vita mihi est.
 19 Nos tua cura sumus rerum pater optime, teque
 20 nos custode uno fidimus, atque duce.
 21 Cetera deficiunt nobis solacia : quare
 22 nos tua defendat dextera quaeso pater.
 23 Ecce tuum contra populum gens impia ferrum
 24 strinxit, et adversus te gerit arma Deus :
 25 sed vincent tua dicta hominum viresque minasque
 26 cetera praetereunt, sed tua dicta manent.

PSALMUS CXXIII. QUI CONFIDUNT IN DOMINO ADHORTATUR AD FINEM,
 QUIA DEUS TUEATUR EOS QUI AB IPSO EXSPECTANT AUXILIUM.

E_1_23 v.1 Ut scopulis innixa suis Sionia rupes
 2 durat in aeternos non peritura dies :
 3 sic irata pios numquam fortuna revellet,
 4 si spe nituntur pollicitisque Dei.
 5 Ecce vides Solymen quae moles cinxerit urbem,
 6 et non humana moenia facta manu ?
 7 Parva inter montes latet, immani aggere septa,
 8 et stat inaccessis undique clausa jugis.
 9 Defenditque suo propius nos robore Numen,
 10 ignea dum simulat moenia luce sua :
 11 ne populum feriant caelestia sacra colentem,
 12 acta malos contra noxia tela viros.
 13 Ne te igitur capiat melior fortuna malorum,
 14 turpiter ut cupias destituisse Deum.
 15 Non habet impietas successus, credite, longos,
 16 et male promeritos tristia fata manent.
 17 Felicesque pii, quos tu pater optime servas,
 18 continget portum te duce nostra ratis.
 19 Ergo leva pater afflictos, vitaeque gubernam
 20 ambiguum cursum numine quaeso tuo.

PSALMUS IIIII. CUM CLAMAREM, EXAUDIVIT ME DEUS JUSTITIAE MEAE ETC.

E_1_24 v.1 Quamvis dura feram, tamen est pars certa salutis,
 2 et videt afflictos, et juvat ipse Deus.
 3 Non igitur, quia me fortuna exercet iniqua,
 4 dicite me Domino displicuisse meo.
 5 Eriget haec inter mala nos pater optimus, atque
 6 aspiciet lacrimas, accipietque preces.
 7 Et rerum Domino nemo succenseat umquam,
 8 auxilium quoniam differat ille diu :
 9 sed petat, ac exspectet opem ; sic mollia durat
 10 pectora, sed numquam deserit illa Deus.
 11 Et quamquam mora longa sit, et solacia nulla :
 12 qualia mundus amat, cernere posse datur :
 13 te promissa tamen recreent caelestia, donec
 14 impius hic mundus gaudia ventris habet.

PSALMUS CX. DIXIT DOMINUS DOMINO MEO ETC.

E_1_25 v.1 Dat Domino nova regna meo pater optimus, illi
 2 quem mihi promisit venturum ab origine nostra,
 3 et delere jubet cunctos qui recta monentem
 4 contemnent : Regni primum Sionia rupes
 5 auspiciam est visura novi, hic ubi gentis Hebraeae
 6 impia posteritas scelerato exstinguere ferro
 7 hunc volet, ipse tamen superato ex hoste triumphum
 8 laetus aget, mediosque inter dominabitur hostes.
 9 Ac ut Vere novo tenebris cum forte remotis
 10 mane aurora diem nobis, lucemque reducit,
 11 effundit rorem campis sitientibus aether :
 12 undique sic veniunt ad regia signa catervae,
 13 undique et agnoscent Dominum, monitusque sequentur.
 14 Ille pios inter tam multa pericula vitae
 15 proteget, et mortis feralia jura fugabit.
 16 Sed non sceptrum modo geret ille, et regis honores :
 17 namque sacerdotis summi quoque munus obibit,
 18 iratumque patrem nobis placabit, et unus
 19 orabit miseris veniam mortalibus, atque
 20 victima erit pro delictis gratissima nostris.
 21 Nec veteri ritu pecudes mactabit ad aras,
 22 quem pater ad seros Aron misisse nepotes
 23 traditur, aut vituli consperget saxa cruore,
 24 aut metuende pater salsa tibi fruge litabit.
 25 Non etenim offensi flectebat nummis iram
 26 talis honor : faciet noster nova sacra Sacerdos.
 27 Et velut Abramum successu caedis ovantem,
 28 raptaque de victis spolia hostibus ampla ferentem
 29 Melchisedec, parvis Solymis qui regna tenebat,
 30 excipit, et grata victorem voce salutatur,
 31 atque viro benedicit, et omnia coepta secunda
 32 esse jubet, nec erunt, inquit, nostra irrita vota,
 33 approbat ista Deus, qui te servatque, regitque :
 34 talia pro nobis faciet quoque vota sacerdos
 35 noster, ut humani generis mala plurima, rerum
 36 conditor ipse levet, miserisque errata remittat,

37 et numquam moritura novae det gaudia vitae.
 38 Nec vero aeternum mors finiet hujus honorem :
 39 vivet, et ipse suo fungetur munere semper,
 40 ut summi patris assidua prece mitiget iram.
 41 Huic igitur regi juvenes parere, senesque :
 42 tempus enim, mihi credite, erit cum numinis ultor,
 43 contempti ipse sui poenas, et justa reposcet
 44 supplicia, et figet semper mensura tropaea
 45 hostibus exstinctis. Nam magni dextra parentis
 46 hunc juvat, et regum franget viresque minasque,
 47 et quamquam aerumnas nostras, mortemque subire,
 48 et perferre jubet pater, hunc tamen inde reducet
 49 in vitam, fascisque dabit, regnumque tenere.

PSALMUS CXI. CONFITEBOR DOMINO.

E_1_26 v.1 Quas laudes tibi nos pater canemus,
 2 quae praeconia maximisque factis
 3 dicemus ? Manifesta signa nobis
 4 monstrasti bonitatis et favoris,
 5 ut curae tibi nos sciamus esse.
 6 Escam namque piis pater dedisti,
 7 et tradis Cananaea regna nobis,
 8 mansurum quoque foedus omne in aevum
 9 fecisti : rata sunt, eruntque semper,
 10 quae dicis pater, atque polliceris.
 11 Defendes populum tuum, atque mittes
 12 in terras Dominum, ille liberabit,
 13 et nos proteget, et procul fugabit
 14 aerumnas, mala cuncta : reddet ille
 15 vitae gaudia sempiterna nobis.
 16 Ergo omnes Dominum Deum timete,
 17 nam prima est sapientia hunc timere,
 18 quisquis jussa Dei facit, colitque,
 19 is demum sapere optime est putandus.

PSALMUS CXII. BEATUS VIR QUI TIMET DOMINUM ETC.

E_1_27 v.1 Felix, ille, Deum metuit qui pectore toto,
 2 cujus deliciae sunt bona jussa Dei.
 3 Illius et natos, et qui nascentur ab illis,
 4 caelesti Dominus, crede, juvabit ope.
 5 Et quae sufficiant, donabit commoda vitae,
 6 justitia est hujus vindice tuta Deo.
 7 Grataque in adversis cernet solacia rebus,
 8 afficitur nostris nam Deus ipse malis.
 9 Vir bonus aera solet facilis dare mutua egenti,
 10 et mens illius nescia fraudis erit.
 11 Non poterit talem fortuna evertere iniqua,
 12 est memor illius semper, eritque Deus.
 13 Fortunaequae minas ille imperterritus audit,
 14 solius fidit nam bonitate Dei.
 15 Et quoniam curae esse Deo se credidit, ipso
 16 inspectante malis, poena luenda venit.

17 Ille suas quia spargit opes, et donat egenis :
 18 praemia justitiae non moritura feret.
 19 Et quamvis segura diu sint otia pravis,
 20 poena tamen tardo hos corripit acta pede.

PSALMUS CXXXIII. ECCE QUAM BONUM ET QUAM JUCUNDUM.

E_1_28 v.1 Exiguus addit vires concordia rebus,
 2 et cumulat modicas atque tuetur opes.
 3 Utque senis celso manantia vertice Aronis,
 4 infirmos artus balsama larga rigant.
 5 Sive satis ut vita redit, dum Sirius agros
 6 torret, si gelido rore madescit humus :
 7 sic ubi sunt aequo sociatae foedere mentes,
 8 fidaque communis pectora junxit amor,
 9 virtutem Deus aspirat, placidoque favore
 10 provehit, et vitae cuncta pericla regit.

PSALMUS LXXXI. DEUS STETIT IN SYNAGOGA ETC.

E_1_29 v.1 Stat Deus in media turba, coetuque Deorum,
 2 terribilique alios increpat ore Deos.
 3 Numquis erit tandem scelerum modus ? Omnia jura
 4 oppressa a vobis vique doloque jacent.
 5 Nil in judiciis inopis valet optima causa,
 6 gratia sed tantum divitis illa regit.
 7 Quin vos efficite, ut probitas innoxia semper
 8 praesidio vestro tuta manere queat.
 9 Nec circumscribi pupillos fraude sinatis,
 10 injusti metuant tristia jura fori.
 11 Sed nihil his monitis regum fera corda moventur,
 12 nec caecae mentes numina summa timent.
 13 Nulla voluptates moderantur vincula legum,
 14 miscent arbitrio fanda, nefanda suo.
 15 Sed meritas olim dabit ista licentia poenas,
 16 convenietque actis exitus ipse suis.
 17 Ecce ego dejiciam celsa de sede Tyrannos,
 18 cum manibus terras ipse movebo meis.
 19 Vos equidem esse Deos jussi, natosque vocavi,
 20 voce mea vobis regna tenere dedi.
 21 Sed repetam titulos, et regni iratus honores,
 22 et dabitur poenas vos aliquando mihi.
 23 Utque alii exuti regnis cecidere Tyranni,
 24 qui veluti plebis pars, sine honore jacent :
 25 sic postquam tituli vobis ego dempsero honorem,
 26 lapsaque cum fuerint scripta superba manu ;
 27 vos ignota eritis contemptaque funera, sicut
 28 obscura vulgus morte perire solet.
 29 At tu, summe Deus, surgas, terramque gubernes,
 30 absque tuo regnum numine stare nequit.
 31 Omnes te gentes Dominum metuantque colantque
 32 omnia sunt etenim sub ditione tua.

PSALMUS LXXXIIII. QUAM DILECTA TABERNACULA ETC.
 PRAECIPIT UT AMEMUS, ET SUMMA CURA ORNARE STUDEAMUS ECCLESIAM CHRISTI,
 HOC EST, ET VERBUM DEI, ET IPSUM PUBLICUM MINISTERIUM...

E_1_30 v.1 Nulla domus, non ulla mihi jucundior urbs est,
 2 quamvis ingentes accumularit opes :
 3 quam templi sunt tecta tui, pater optime rerum,
 4 in quo doctrinae vox sonat ipsa tuae.
 5 Hanc arcem toto venerabor pectore semper,
 6 qua non est animo carior ulla meo.
 7 Ipse tuas aras festis ornabo coronis,
 8 atque illas justo semper honore colam.
 9 Utque suis timidae nidis gaudere volucres,
 10 quos sibi quaeque sua condidit arte, solent :
 11 in quibus et possunt hostes contemnere tutae,
 12 et pullos dulci mater amore fovet ;
 13 sic nobis templum nidus gratissimus esse,
 14 et certum debet perfugium esse piis.
 15 Felix hac semper quicumque habitabit in arce,
 16 audiat ut laudes, et canat ipse Dei.
 17 Vera piis patria est Ecclesia sola putanda,
 18 quae patriae debes officia, ista petit.
 19 Non vis ulla animos umquam divellat ab ipsa,
 20 aeterno junctam foedere semper ama.
 21 Hanc omnes studio sociato ornentque juventque,
 22 hic honor, haec pietas, credite, grata Deo est,
 23 ac veluti volucrum nidos industria munit :
 24 sic nostra cura est ista tuenda domus.
 25 Crudelis quicumque ipsam lacerare parabit,
 26 impiaque adversus ceperit arma Deum.
 27 Sed patriam hanc quisquis melior defendere certat,
 28 et rectam non vult destituisse viam ;
 29 aerumnas feret ille graves, atque aspera multa :
 30 his non succumbet sed tamen ipse malis.
 31 Ac rivos late deducet fonte perenni,
 32 exstingui numquam dogmata vera queunt.
 33 Doctores Deus ipse regens caelestibus auget
 34 dotibus, et studium provehit, atque juvat.
 35 Multaque delete victores hoste tropaea
 36 ponent ut fiat gloria nota Dei.
 37 Exaudi gemitus nostros, pater optime rerum,
 38 aspicias templi quaeso pericla tui.
 39 Conserva regni formamque statumque decorum,
 40 praefice concordem ipse, piosque duces,
 41 has ego delicias ardentibus expeto votis,
 42 in templo semper degere posse Dei.
 43 Et quamvis ibi erunt mihi multa adeunda pericla,
 44 namque odiis urget mundus ubique pios :
 45 attamen anteferam regnis, opibusque malorum,
 46 hujus militiae signa decusque piae.
 47 Namque sua dextra Deus istam protegit arcem,
 48 et cives numquam deserit ille suos.
 49 Felix, qui voci caelesti obtemperat uni,
 50 nec patitur frangi pectora firma minis.

PSALMUS CXXII. LAETATUS SUM IN HIS QUAE DICTA SUNT MIHI,
IN DOMUM DOMINI IBIMUS. GRATIARUM ACTIO DE CONSTITUTIONE ECCLESIAE,
ET PRECATIO DE CONSERVATIONE ETC.

E_1_31 v.1 Summe Deus nobis patefacte in rupe Sinai,
2 nostra tibi grates pectora et ora sonant :
3 quod sancis Solymis ut templi immota sit omni
4 tempore dehinc sedes, quae tua dicta sonet.
5 Curia stat nobis sapiente ornata senatu,
6 voce tua patriam, consilioque regens.
7 Pectora cunctorum dulcis concordia jungit,
8 et studio condunt moenia nostra pari.
9 Isaciasque tribus cunctas huc ire necesse est,
10 caedenda est alio victima nulla loco.
11 Hic vox doctrinae spargatur ut unica purae,
12 quam nobis caelo tradidit ipse Deus.
13 Ipsius ut bonitas in toto luceat orbe,
14 notaque sint Nati munera magna sui.
15 Restituit nobis vitam qui labe remota,
16 justifica salvos et facit esse fide.
17 Hic fons doctrinae sit limpidus inde fluentis,
18 non ficto Deus ut posset honore coli.
19 Posteritas in qua Davidis regna tenebit,
20 hic semper sedes non peritura manet.
21 Diligite hac Solymen, et grato reddite corde,
22 debita cuncta illi munera, vota, preces.
23 Qui fovet officiis hanc justis, atque tuetur :
24 proteget hunc semper dextera magna Dei.
25 Sit tibi pax, et vera salus Ecclesia semper,
26 quae discis studio dogmata sancta pio.
27 Fausta meos propter fratres, propterque propinquos
28 opto tibi et Templi ne labefiat honos.

DE LECTIONE PSALMORUM DAVIDIS. ANNO 1541. RATISBONAE.

E_1_32 v.1 Membra rudi e terra primorum quando parentum,
2 arcana finxit maximus arte pater.
3 Adflavitque haustas proprio de pectore mentes :
4 nos ad mirandum condidit auctor opus.
5 Notitiam ipsius late ut spargamus in Orbem,
6 ut laudent nomen terra polusque Dei.
7 Alter honos tamen ad doctrinam accedere debet,
8 assidua ut quaeras voce parentis opem.
9 Utque Deo semper tales reddamus honores,
10 aeternam vitam filius ipse dedit.

HAEC TIBI DAVIDIS PROPONUNT CARMINA VATIS,
UT LAUDES TRIBUAS, ET PIA VOTA DEO. ALIUD DE PSALMIS.

E_1_33 v.1 Esse Deum aeternam mentem, quae cuncta creavit,
2 mundi totius machina pulchra docet.
3 Plus tamen est sic nosse Deum, quod vota piorum
4 audiat et gemitus pondus habere sinat.
5 Id tibi promittunt haec caelo oracula missa,

6 Jessaei vatis quae sonuere fides.
 7 Hinc igitur maestis solacia firma petantur,
 8 hunc quaerat portum mens tremefacta sibi.
 9 Amphion cantu scopulos traxisse putatur,
 10 et potuisse Orpheus flectere voce feras :
 11 attamen hos longe Davidis carmina vincunt,
 12 quae mentem e media ducere morte solent.

DE VENIS METALLICIS, GRATIARUM ACTIO ET PRECATIO PHILIPPI.

E_1_34 v.1 Non casu volucres Atomi sine mente ruentes,
 2 hanc mundi formam progenuere novam.
 3 Formatrix sed mens sapiens ac optima mundi est,
 4 omnia quae mira condidit arte Deus.
 5 Consilioque sagax varios distinxit ad usus,
 6 et prodesse homini cetera cuncta jubet.
 7 Et clara impressit multis vestigia rebus,
 8 agnosci sapiens conditor unde queat.
 9 Haec bonitas celebranda tua est Deus optime semper,
 10 fac gratae mentes ut tua facta canant.
 11 Quare etiam grates pro tanto hoc munere dico,
 12 quod certum est artis tantum opus esse tuae :
 13 intima quod venas sparsisti in viscera terrae,
 14 usibus ut nostris apta metalla ferant.
 15 Lactea ubi fumis hydrargyra mixta coquuntur
 16 sulphureis, fibrae semina prima novae.
 17 Dantque alias formas caelestia lumina massis,
 18 et vagus in terris hoc movet ignis opus.
 19 Sed satis effari queat haec miracula nemo,
 20 hoc certum est, nasci cuncta fovente Deo.
 21 Vis etiam nostro quaeri haec tua dona labore,
 22 legitimos usus et tua dicta docent.
 23 Mandasti quondam fieret tibi ut aurea sedes
 24 intra aditum templi conditor alme tui.
 25 Jussisti binas argenti pendere drachmas,
 26 ut servaretur religionis honor.
 27 Et justum esse doces, par compensatio cum fit,
 28 sic vis pro sumpta merce nomisma dari.
 29 Cumque probas operas fossorum : Ecclesia saepe
 30 his collecta locis fida, placensque tibi est.
 31 Strymonia docuit nam Paulus in urbe Philippis ;
 32 hic ubi tunc auri vena opulenta fuit.
 33 Divitiasque loci celebravit longa vetustas,
 34 urbs ibi nam Datus non minor ante fuit.
 35 Sed cepit Pauli doctrina ditior esse,
 36 qui populi mores praedicat, atque fidem.
 37 Exsul ubi viduae pietate exceptus Elias
 38 Sidonia quondam non procul urbe fuit.
 39 Hic a conflatis antiqua Sarepta metallis,
 40 artem et opus monstrat nomine clara suo.
 41 Multa bonae mentes exempla hinc sumere possunt,
 42 quae formant mores, quos probat ipse Deus.
 43 Esse Deum verum, patefactum in rupe Sinai
 44 norint, qui mundum condidit, atque regit ;
 45 quique redemptorem misit de virgine natum,

46 qui viva aeterni patris imago sui est ;
 47 vocem Evangelii qui dura in pectora spargit,
 48 fecundat montes semine ut ipse dato.
 49 Addit et huic vitam caelesti lumine voci,
 50 afflatu mentes urit et ipse suo.
 51 Fossores tamen esse jubet, sua dicta doceri,
 52 et studio disci praecipit ipse pio.
 53 Disce Sareptanae viduae pia facta, fidemque,
 54 haec aliqua ut referas parte, precare Deum.
 55 Ac simul effundi divinam in pectore lucem,
 56 inque sinus terrae semina larga, petas.
 57 Gnate Dei effigies aeterni viva parentis,
 58 hos populos serves, te precor, atque regas.
 59 Ac Evangelio semper tibi collige coetum,
 60 concedas studiis hospitiumque piis.
 61 Haec animo volui, juga per Joachimica vectus,
 62 perque Annae montes qui modo nomen habent.

DE SICLO.

E_1_35 v.1 Justa sacerdotum designat munera siclus,
 2 cujus in Hebraeis urbibus usus erat.
 3 In quo florescens insculpta est virga Aaronis,
 4 quae monet, ut doceant dogmata pura Dei.
 5 Parte calix alia est impletus ture Sabaeo,
 6 hic offerre preces, ut nova tura, jubet.
 7 Attamen ante alios summus facit ista sacerdos
 8 Filius aeterno de genitore satus.
 9 Ipse sinu profert nobis decreta parentis,
 10 restitui vitam quo velit ille modo.
 11 Hic Aaronaei coetus est florida virga,
 12 ac Evangelii semina prima ferens.
 13 Hic et consilio mirando victima factus,
 14 justitiae solvit debita "luxa" patris.
 15 Cumque cruor toto manaret corpore : supplex
 16 vulnera pro nobis obtulit, atque preces.
 17 Et sibi perpetuum doctrina colligit agmen,
 18 vivificans verbo pectora nostra suo.
 19 Quamquam autem ad dextram caelesti in sede parentis
 20 ipse dat haec semper maxima dona piis :
 21 doctores tamen adjungit, sociosque laborum,
 22 organa quos vocis praecipit esse suae.
 23 Cura sit his fontes doctrinae nosse salubres,
 24 fundere et in populo flumina pura Dei.
 25 Cumque Sacerdotis Christi conjungere votis,
 26 assiduos gemitus, cura sit, atque preces.
 27 Gnate Dei nobis iram placato parentis,
 28 et tua discentes dogmata, Christe, tegas.
 29 Tuque "logos" vivens nostris in mentibus adsis,
 30 et flatu accendas pectora nostra tuo.

PRECATIO NUMERORUM.

E_1_36 v.1 Optime Christe, tuae des fata secunda catervae,

2 ac inter vitae saeva pericla tege.
 3 Tu dabis ut cernat vere esse patremque Deumque,
 4 certa venit nobis, si miserere, salus.
 5 Placatumque animum, vultusque ostende paternos,
 6 prosperaque eveniant cuncta favore tuo.

ALIA IN QUA APPELLATIO 'SILOH'

E_1_36B v.1 Gnate Dei effigies aeterni viva parentis,
 2 aeterna Verbum mente satumque patris.
 3 Indutus nostra qui carne in virginis alvo,
 4 humanum accedis, maxime Christe, genus :
 5 te pius Isacides compellat nomine Siloh,
 6 quod tenerae es foetus virginis ipse tener.
 7 Ac velut involvens foetum membrana recentem,
 8 dum rude sub matris pectore turget onus.
 9 Mollis et admotus non est durabilis ullos,
 10 pendet et a Cotylis squalida tota novis :
 11 sic infirma fuit caro tunc tua, maxime Christe,
 12 in cruce pro nobis cum lacerata fuit.
 13 Indueras etenim mirando foedere carnem,
 14 huic nostrae similem, suppliciique ream.
 15 Sed prorsus fragilis nos ipsi, et sordida pellis,
 16 materna chorion labe reumque sumus.
 17 Attamen hoc vivet chorion, quando induis ipse,
 18 voce tua sanans, atque cruore lavans.
 19 Sic autem nobis divina haec munera dantur,
 20 cum discunt vocem pectora nostra Dei,
 21 ac coetus ideo discentum, Christe, tueris,
 22 ut chorion vere sit Schola casta tuum.
 23 At tua tuta precor servetur fascia Siloh,
 24 ne queat hanc ullus dilacerare furor.

ALIA EX 2. PARALIP. 20. EXPRESSA VERSIBUS A IOACH. CAM.

E_1_37 v.1 In tenebris nostrae, et densa caligine mentis,
 2 cum nihil est toto pectore consilii.
 3 Turbati erigimus Deus ad te lumina cordis,
 4 nostra tuamque fides solius orat opem,
 5 tu rege consiliis actus pater optime nostros,
 6 nostrum opus ut laudi serviat omne tuae.

ALIA PRECATIO PHILIP. MELANTH.

E_1_38 v.1 Te maneat semper servante Ecclesia, Christe,
 2 insertosque ipsi nos tua dextra tegat,
 3 tres velut in flamma testes Babylonide servas,
 4 rex ubi praesentem te videt esse Deum.

ALIA SUMPTA EX DICTO GENES. I. SPIRITUS DEI FOVEBAT AQUAS.

E_1_39 v.1 Spiritus ut Domini nascentia corpora fovit,
 2 cum manus artificis conderet ipsa Dei :

3 sic foveat coetus, qui Christi oracula discut,
4 accendatque igni pectora nostra suo.

ALIA DESUMPTA EX CAPITE 16. LUCAE DE LAZARO.

E_1_40 v.1 Aeger et ulceribus squalens in corpore toto,
2 hic jaceo et pereunt tabida membra fame.
3 Divitis ante fores jacuit ceu Lazarus olim,
4 cui fastidito nemo ferebat opem.
5 Ut tamen a cunctis spretus, tua cura, tuoque
6 exceptus gremio Lazarus ille fuit :
7 sic, aeterne Deus, tua me clementia servet,
8 et miserum dextrae protegat umbra tuae.

ALIA.

E_1_41 v.1 Nil sum, nulla miser novi solacia, massam
2 humanam nisi quod tu quoque, Christe, geris.
3 Tu me sustenta fragilem, tu, Christe, gubernas,
4 fac ut sim massae surculus ipse tuae.
5 Hoc mirum foedus semper mens cogitet, uno
6 hoc est, ne dubita, foedere parta salus.

ALIA DE MATRE CANANAEA. MATTH. 15.

E_1_42 v.1 Quantus erat dolor in Cananaea matre puellae,
2 cujus mens furias exagitata fuit :
3 in tanto nunc est Ecclesia maesta dolore,
4 doctorum furias cum videt, atque Ducum.
5 Sed tu gnate Dei gemitus audito precantum,
6 nulla venit nobis te nisi dante salus.
7 Tu procul a nobis saevos depelle furores,
8 et sanes verbo pectora nostra tuo.
9 Quamvis ira tui nos urget justa parentis,
10 et sumus ut turpes nos rea turba canes,
11 attamen ut timide sub mensa captat herili,
12 esuriens modicas parva catella dapes :
13 sic cum dira fames nostros absumpserit artus,
14 de mensa petimus pabula, Christe, tua.
15 Gnate Dei generis nostri cum sumpseris artus,
16 nos gerat infirmos haec tua massa precor.

IN CAPITE XVII. IOHANNIS, VERBA FILII DEI AD AETERNUM PATREM SUNT HAEC IN AGONE
DICTA.

SIT DILECTIO TUA IN EIS, QUA ME DILIGIS, ET EGO IN EIS.
CARMINA REDDITA A PHIL. MELANTH.

E_1_43 v.1 Nec tu Gnate Dei majus meliusve rogare
2 Aeternum poteris, optime Christe, patrem :
3 quam qualis "orge" semper te diligit ipse,
4 diligat et simili nos ut amore pater.
5 Nec tribui nobis hoc possit munere majus :

6 quid nati posset majus amore dari ?
 7 Non apud aeternum facis irrita vota parentem,
 8 adfirmat jurans hoc pater ipse tibi.
 9 Erga nos etiam es patrii tu pignus amoris,
 10 jussus pro nobis debita "luxa" dare.
 11 Nos igitur quamquam sumus aegra et sordida massa :
 12 credimus ista tamen munera summa dari.
 13 Confisique tua prece, Christe, pericula nostra
 14 a summo petimus cuncta parente regi.
 15 Tuque tuo serves infirmos Numine, qui vis
 16 in nostris vivens mentibus esse "logos".

ALIA PRECATIO. DE INITIO NOVI ANNI.

E_1_44 v.1 Ipsa Deus sapiens verbo qui cuncta creavit,
 2 et certis annum legibus ire jubet :
 3 efficiat, nobis veniens sit faustus ut annus,
 4 et clemens dextra nos tegat ipse sua.
 5 Et quoniam Gnatum misit, qui colligat agmen,
 6 cujus sit Doctor, Vita, Caputque "logos" :
 7 hic "logos" aeterno natus patre semper adesse
 8 et custos nobis et caput esse velit.
 9 Viribus humanis non est Ecclesia tuta,
 10 regum praesidiis fortibus orba caret.
 11 Sed nostram indueris cum miro foedere massam,
 12 Gnate Dei semper nos tua membra regas.
 13 Et facias tecum nos unum ut simus in aevum,
 14 vera laude tuus quo celebretur honor.

GRATIARUM ACTIO PRO BENEFICIO NATI ET EXHIBITI CHRISTI.

E_1_45 v.1 Omnipotens aeterne Deus, qui cuncta creasti,
 2 nostra tibi grates, pectora, et ora sonant.
 3 Quod genus humanum non dira in morte relinquis,
 4 effigiemque tuam non periisse sinis.
 5 Sed gnatum donas, qui nostros induit artus,
 6 "ton logon aidiou patros uphisamenon".
 7 Hic est promissus patribus cognomine Siloh,
 8 Isacide gnatos ut moriture doces.
 9 Namque erat hic "chorio" similis, tenera, atque cruenta
 10 fascia pro nobis victima quando fuit.
 11 Cumque sit Emanuel, non tantum crimina tollit,
 12 gaudia sed reddit non moritura piis.
 13 Semper adest nobis, semper sibi colligit agmen,
 14 aeterni "logos" hic, viva et imago patris.
 15 O res mirandas, mirando foedere juncta est
 16 humani generis languida massa Deo.
 17 Credimus haec tibi Gnate Dei, sic credere voci
 18 prolatae ex patrio praecipis ipse sinu.
 19 Sed tamen haec fidei modica est scintillula, fiat
 20 auxilio petimus fortior illa tuo.
 21 Ac veluti lucis radios Sol spargit in Orbem,
 22 tu sol justitiae nos rege luce tua.
 23 Et non exstingui patiare in pectore nostro,

24 notitiamque tui, notitiamque patris.
 25 Hospitiumque tuae doctrinae protege, Christe,
 26 Emanuelque tuo semper adesto gregi.

PRECATIO.

E_1_46 v.1 Quod "logos" aeterni demissus ab arce parentis,
 2 factus et humana victima carne fuit :
 3 haec est divina sapientia tradita voce,
 4 quam verax testis comprobat ipse Deus.
 5 Tanta Dei bonitas, et tanta haec foedera cerni
 6 non possunt, doceas Tu nisi corda Deus.
 7 Vis autem agnosci "logon", ac ut nuntius iret
 8 misisti, nobis pignus et esse jubes.
 9 Te pater ipse simul vis, et tua munera sumi
 10 te tribuens nobis et tua dona, fide.
 11 Ergo Gnate Dei nobis da, Christe, precamur,
 12 notitiam patris, notitiamque tui.
 13 Eque tuo flammis in pectora spargito nostra,
 14 ut celebrent vero semper honore Deum.
 15 Et tua sit concors, crescatque Ecclesia, et una
 16 voce tuas laudes, et tua dona canat.

EX LUCA 24. CAPITE.

E_1_47 v.1 Vespera jam venit nobiscum, Christe, maneto,
 2 exstingui lucem nec patiare tuam.

PRECATIO. (2 vers en Grec)

E_1_48 v.1 Graece versus scripti.

ALIA. (2 vers en Grec)

E_1_49 v.1 Graece versus scripti.

DISTICHON DE EXILIO CHRISTI ET ECCLESIAE.

E_1_50 v.1 Exsul erat Christus, comites nos exsulis hujus
 2 esse decet, cujus nos quoque cura sumus.

SUBDITUS ESTO DEO ET ORA EUM.

E_1_51 v.1 Subditus esto Deo, mandato munere fungens,
 2 et spera in miseris, et pete rebus opem.

NEMO NOVIT PATREM NISI FILIUS, ET CUI FILIUS VOLET REVELARE, MATTH. 11.

E_1_52 v.1 Nempe Patrem novit nisi Filius, et quibus hujus

2 semina notitiae Filius ipse dedit.

ITEM.

E_1_53 v.1 Vult assertores laudum nos esse suarum,
2 idque magis poscit quam nova tura Deus.

EX PAULO 1. COR. 15

E_1_54 v.1 Non labor in Domino vester inanis erit.
(1 vers en Grec)

IMAGO SOMNII.

E_1_55 v.1 Ajacem vidi stantem, juvenilia membra,
2 qui fulvi indutus pelle leonis erat.
3 Fraxineamque hastam cum fortis dextra teneret,
4 laevum ipsi clypei texerat umbo latus.
5 In quo magna boum dicuntur tergora septem
6 artificis docta juncta fuisse manu.
7 Sed supra caput Ajacis mons eminent altus,
8 floribus et laeto gramine ubique virens.
9 Cujus in excelso victor stat vertice Christus,
10 unicus aeterno de genitore satus.
11 Signa gerens, reducem superata morte, triumphi
12 qualia tunc comitum ferre caterva videt.
13 Hujus sub pedibus medioque in monte tropaeum
14 angelica crux est aurea fixa manu.
15 Multa quidem pavide simulacra fugacia mentes,
16 quae caeca volitant irrita nocte, vident.
17 Sed tamen haec si non lusit fallacibus umbris,
18 talia sollicitos forsitan imago monet.
19 Irati quamvis moverunt tristia bella,
20 in sua grassantur viscera jamque Duces :
21 et jam civili patria est polluta cruore,
22 justaque non sotes opprimit ira Dei :
23 ut tamen in mediis laceratus naufragus undis
24 qui superest tabulas colligit ipse sibi :
25 sic aliquem eripiet coetum de fluctibus istis
26 aeterno Christus de genitore satus :
27 estque inter dubios mansura Ecclesia motus,
28 ut victor Christus montis in arce stetit.
29 Flecte precor nobis iratum, Christe, parentem,
30 qui vis pro nobis supplicis esse loco.
31 Et quam sparsisti prolatam e mente parentis,
32 deleri vocem ne patiare tuam.
33 Doctrinaeque tuae studium, parvamque Sareptam,
34 doctrinae hospitium protege quaeso tuae.
35 Et placidam clemens nobis concedito pacem,
36 tuque ducum mentes, tu populi regas.
37 Nemo meis manibus coetum mea dicta colentem,
38 sic inquit tua vox, eripuisse potest.
39 Haec promittit opem nobis, et pectora, ut a te

40 ausint auxilium poscere, nostra movet.
 41 Ut serves igitur, votis te ardentibus oro,
 42 agmina quae legis sunt studiosa tuae.
 43 Semper ut agnitio mortales luceat inter,
 44 mansura aeterno tempore, vera tui.

DE DICTO IOHAN. BAPTISTAE, NON POTEST SIBI HOMO SUMERE QUICQUAM,
 NISI DATUM SIT EI A DEO, IOHAN. 3.

E_1_56 v.1 Nullius est felix conatus et utilis umquam,
 2 consilium si non detque juvetque Deus,
 3 tunc juvat ille autem, cum mens sibi conscia recti,
 4 mandati officii munera justa facit.
 5 Et simul auxilium praesenti a numine Christi
 6 poscit, et exspectat non dubitante fide.
 7 Sic procedet opus faustum populisque tibi,
 8 navis et aura tuae vela secunda vehet.
 9 Invictamque Dei dextram vis nulla repellat,
 10 omnia cogentur cedere prona Deo.
 11 Ipsa etiam, quamvis Adamanti incisa feruntur,
 12 cum petimus, cedunt fata severa Deo.
 13 Nec Deus est Numen Parcarum carcere clausum,
 14 quale putabatur Stoicus esse Deus.
 15 Ipse potest solis currus inhibere volantes,
 16 ipse velut scopulos flumina stare iubet.

CARMEN QUO SOLENT PUERULI AD STUDIUM LITTERARUM IN SCHOLAM EVOCARI,
 DIE GREGORII CIRCA AEQUINOCTIUM VERNUM.

E_1_57 v.1 Vos ad se pueri primis invitat ab annis,
 2 atque sua Christus voce venire iubet.
 3 Praemiaque ostendit vobis venientibus ampla,
 4 sic vos, o pueri, curat amatque Deus.
 5 Vos igitur laeti properate occurrere Christo,
 6 prima sit haec Christum noscere cura ducem.
 7 Sed tamen ut Dominum possis agnoscere Christum,
 8 ingenuas artes discito parve puer.
 9 Hoc illi gratum officium est, hoc gaudet honore,
 10 infantum fieri notior ore cupit.
 11 Quare nobiscum studium ad commune venite,
 12 ad Christum monstrat nam Schola nostra viam.

DE ANGELIS. SAPPHICON.

E_1_58 v.1 Dicimus grates tibi summe rerum
 2 Conditor, Gnato tua quod ministros.
 3 Flammeos finxit manus, Angelorum
 4 agmina pura.
 5 Qui tuae lucis radiis vibrantes,
 6 te vident laetis oculis, tuasque
 7 hauriunt voces, sapientiaeque
 8 fonte fruuntur.
 9 Hos nec ignavum sinis esse vulgus,

10 nec per ingentes volitare frustra
 11 aetheris tractus, temere nec inter
 12 ludere ventos :
 13 sed jubes Christocomites adesse,
 14 et pios coetus hominum tueri,
 15 qui tuas leges venerantur, atque
 16 discere curant.
 17 Impiis ardens odiis, et ira
 18 nam tuis castris Draco semper infert
 19 bella qui primus scelus, atque mortem
 20 intulit orbi.
 21 Hic domos, urbes, tua templa, gentes,
 22 et tuae legis monumenta tota,
 23 et bonos mores abolere tentat
 24 funditus omnes.
 25 Interim sed nos tegit Angelorum
 26 quae ducem Christum sequitur caterva,
 27 atque grassantis reprimit cruenta
 28 arma Draconis.
 29 Angeli Lothon Sodomae tuentur,
 30 inter infestos Elisaeus hostes
 31 angelis cinctus nihil extimescit
 32 bellica signa.
 33 Tutus est inter medios leones
 34 angelis saeptus Daniel propheta,
 35 sic tegit semper Deus his ministris
 36 omnia nostra.
 37 Hoc tuum munus celebramus una,
 38 et tibi noster chorus Angelique,
 39 gratias dicunt simul accincentes,
 40 Conditor alme.
 41 Et tuo templo vigiles ut addas
 42 angelos semper, populoque Gnati
 43 qui tuum verbum colit, obsecramus
 44 pectore toto.

AMEN.

DE S. IOHANNE BAPTISTA, IAMBICUM DIMETRUM.

E_1_59 v.1 Aeterno gratias patri
 2 omnes canant Ecclesiae,
 3 quod nuntium verbi sui
 4 Johannem nobis miserit.
 5 Hic mores exui malos
 6 jussit, metuque Judicis
 7 mox adfuturi terruit
 8 superbas mentes omnium.
 9 Rursusque percussos metu,
 10 in spem vitae certam vocat,
 11 et monstrat agnum digito
 12 qui placat unicus Deum.
 13 Haec ille firmo pectore
 14 docet, et Christum praedicat
 15 venire, ceu Solem novum,
 16 prodire aurora nuntiat.

17 Nec Pharisaei spiritum
 18 fregerunt ingentem viri,
 19 Elias alter hic fuit,
 20 hypocritas tunc arguit.
 21 Te, summe, rogamus, pater,
 22 ut corda nostra suscites,
 23 ut vere possint credere
 24 Johannis testimonio.

ALIUD DE MARIA DIE GENETRICE VISITANTE ELISABETH.

E_1_60 v.1 Aeterne gratias tibi
 2 dicamus omnes conditor,
 3 quod inter hostes plurimos
 4 Ecclesiam servas tamen.
 5 Ut inter arma gentium
 6 Herodis, et satellites,
 7 interque taetros dogmatum
 8 furores, et deliria.
 9 Servas Mariam virginem :
 10 domumque castae Elisabeth,
 11 quae praedicant munus tuum
 12 datumque Christum nuntiant.
 13 Non Princeps (nedum) Pontifex,
 14 etsi sciunt oracula
 15 vatum, venisse noverant
 16 salutis auctorem novae.
 17 Sed dulcis haec Elisabeth,
 18 et virginis congressio
 19 arcana promit ceteris
 20 vere Deum colentibus.
 21 Alvoque foetus conditus
 22 longo sacerdotum agmini
 23 agnoscit ignotum ducem,
 24 adorat et gestu suo.
 25 Haec prima synodus fuit,
 26 testata de Christo duce,
 27 postquam statuto tempore
 28 Verbum Patris factum est Caro.
 29 Accensa testimoniis
 30 in corde nostro talibus,
 31 colat fides et invocet
 32 Christum Mariae filium.
 33 Opemque spe firma petat,
 34 missumque credat a Patre,
 35 ut invocantes adjuvet
 36 malisque cunctis liberet.
 AMEN.

DE CONJUGIO : SCRIPTUM IN NUPTIAS CLARISSIMI VIRI IOHANNIS CRATONIS
ARTIUM ET MEDICINAE DOCTORIS IN INCLUTA URBE VRATISLAVIA SILESIIORUM
METROPOLI, ANNO M. D. LIX, DIE SEPTEMBRIS.
EPHESIOS S. MYSTERIUM HOC MAGNUM EST ETC.

E_1_61 v.1 Pectus ut in sponso flammaram incendia sentit,
2 qui vero sponsae flagrat amore suae :
3 naturam sociam vero sic diligit igne
4 Filius aeterno de Genitore satus.
5 Induit humano quam foedere, quo sibi nostrum
6 fraterno pariter junxit amore genus.
7 Jura tori Deus exemplum cum foederis hujus
8 esse velit, caste praecipit ipsa coli.

DE STORGH.

E_1_62 v.1 Conjugis in labris quoties dulcissima figis
2 basia, purpureis filioli que genis :
3 istius ipse Deus transfudit semina amoris,
4 non temere in sensus castaque corda patrum.

IN PAULUM.

E_1_63A v.1 Non sic Daedaleus Christum pinxisset Apelles,
2 ut sacer hunc Paulus exprimit ore pio.

ITEM GRAECE. (2 vers en Grec)

E_1_63B v.1 Graece versus scripti.

IN COMMENTARIUM EPISTOLAE PAULI AD ROMANOS A PHILIPPO SCRIPTUM.

E_1_64 v.1 Doctrinam ex Pauli sumas scaturigine lector,
2 sed liber ad fontes hic tibi monstrat iter.
3 Sic "logon" aeternus misit Pater, ut sua dicta
4 nobis ambiguos non velit esse sonos.
5 Ergo velim proprie caelestia dicta referre,
6 nec caenum inspersionem fontibus esse velim,
7 at mentes hominum caligo abducit, ut extra
8 rectam discedant lapsae aliquando viam.
9 Sed tamen errantes revocat censura piorum,
10 et monitis paret mens pietatis amans.
11 Judiciis igitur lectorum posco moneri,
12 censurae candor si modo junctus erit.
13 In Christo semper nos una Ecclesia simus,
14 una fides jungat pectora, et unus amor.
15 Vult Deus esse unum sibi nos, junctosque tuetur,
16 distractis rabies mutua utrimque nocet.
17 Junxisti ut massam tibi nostram, Christe Redemptor,
18 aeterno sic nos foedere junge tibi.

IN DISPOSITIONEM EPISTOLAE AD ROMANOS, AD D. JUSTUM IONAM.

E_1_65 v.1 Visa obscura prius multis oratio Pauli est,
 2 omnis ubi series, unus acervus erat.
 3 Singula sed postquam sunt ordine membra retexta,
 4 dispositae clarum res modo lumen habent.
 5 Commendatus erit tibi, Iona diserte, libellus,
 6 est breve, sed magni grande laboris opus.

IN CARMEN EBERHARDI LOTHMANNI.

E_1_66 v.1 Lex divina tibi vitae sit regula semper,
 2 sitque tibi potior quam tua vita, Deus.
 3 Eripiantque tibi vitam prius arma Tyranni,
 4 quam sanctam legem, Justitiaeque decus.
 5 Non hic ex caecis Atomis venit ordo perennis,
 6 sed monet esse Deum, iudiciumque Dei.
 7 Est Deus humano spargens in pectore lucem,
 8 notitiam justis, notitiamque malis.
 9 Idem etiam vindex cunctorum iudicat acta,
 10 obruit et poenis ipsius ira malos.
 11 Haec etiam ostendit Caracallae poena Tyranni,
 12 carmine quam recitas docte Eberharde tuo.

IN IMAGINEM CHRISTOPHORI.

E_1_67 v.1 Ista piaae mentis formam tibi monstrat imago,
 2 quae Christum vera cum pietate colit.
 3 Nam velut in mediis incedit fluctibus Heros,
 4 qui non magnum humero, sed grave gestat onus :
 5 sic et multa pios discrimina oportet adire,
 6 qui verbum portant, maxime Christe, tuum.
 7 Omnia destituunt justos solacia, nemo
 8 auxilium tristi tempore ferre solet.
 9 Tu quoque deseruisse tuos, o Christe, videris,
 10 sunt etiam qui te posse juvare negent.
 11 Hoc est cur pueri sis pictus imagine : namque
 12 convenit infirmis ista figura magis.
 13 Tu quoque lapsantes interdum deprimis ipse,
 14 irasci quoties te sibi velle putant.
 15 Sustentat tamen, et praebet solacia Verbum,
 16 ergo arbor gressus arida facta regit.
 17 Haec tamen in florem rursus sese induet arbor,
 18 reddet enim justis praemia digna Deus.
 19 Ille senex lumen qui praefert, doctor habendus,
 20 errantem ut monitis rite gubernet, erit.

DE MONARCHIIS EX DANIELE PROPHETA.

E_1_68 v.1 Aspicias ut jaceant disjecti membra colossi,
 2 qui Chaldaea olim visus in arce fuit.
 3 Stat tantum pars ima pedum ferroque lutoque
 4 mixta, statim rimis corruiura suis.

5 Delevere urbes Turci, populosque potentes :
 6 sunt igitur ferrum, cetera regna lutum.
 7 Sed lapis absque manu celso de monte revulsus
 8 mox aderit iudex Filius ipse Dei.
 9 Totius et plantae delens ferrumque lutumque,
 10 regna dabit populo non peritura suo.
 11 Ergo Dei Gnato se dedant pectora nostra,
 12 ipsius et discant jussa verenda sequi.
 13 O "loge", Gnate Dei, nostris in mentibus adsis,
 14 et flatu accendas pectora nostra tuo.

PETENDUM UT SIMUS UNUM IN CHRISTUM

E_1_68B v.1 In tristi sudans quod poscit agone cruorem
 2 aeterno Christus de genitore satus.
 3 Semper concordēs, unumque ut simus in ipso :
 4 cum Christo nostra hoc vota animique petant.

AD STUDIOSAM JUVENTUTEM PRO FELICI ANNI AUSPICIO.

E_1_69 v.1 Vere Deus, sapiens, verbo tu cuncta creasti,
 2 et certis annum legibus ire jubes.
 3 Cumque velis pulchri metae spectentur ut anni :
 4 miranda Solis tu regis arte vias.
 5 Effice ut iste tuo nobis sit numine felix
 6 annus, qui novus hoc incipit esse die.
 7 Da pacem, vigeantque bonae te praeside leges,
 8 ac Evangelii nos rege luce tui.
 9 Infirmum scis esse gregem, qui dogmata discit
 10 vivifica gnati tradita voce tui.
 11 Adsis in nobis igitur custosque paterque,
 12 nulla venit nobis Te sine dante salus.
 13 Et quia tu legum fons, pulchri ac ordinis auctor
 14 es Deus, et custos legitimi Imperii :
 15 Fernando tribuas longa et felicia regni
 16 tempora da faustus sit pater ut patriae.
 17 Succedit fratri frater tibi Carole, cujus
 18 virtutem semper saecula futura canent.
 19 Vicisti quoties, bonitas tua leniit iram,
 20 ne bellum possent tristia plura sequi.
 21 Ex auro frenos dat Pallas Bellerophonti,
 22 servet ut in bellis cum ratione modum.
 23 Par bonitas fratri est, qui parcere civibus optat,
 24 et contra Turcos qui pia bella gerit.
 25 Quos procul a nobis depellas, Christe, precamur,
 26 bellaque nemo domi seditiose gerat.

ALIUD CARMEN, QUOD EST PRECATIO ET EXHORTATIO
AD DOCTRINAE STUDIA ET INVOCATIONEM.

E_1_70 v.1 Effundam flatum, dicis, Davidis in agmen,
 2 Christe, Evangelii qui solet esse comes.
 3 Gratia magna Dei docili ut notissima fiat,

4 utque prece accedat non dubitante Deum
 5 mentibus et petiisse jubes hoc munus anhelis,
 6 teque avidis juras hoc dare velle bonum.
 7 Ergo voce tua confisi, Christe, precamur,
 8 aura Evangelii sit comes ista tui.
 9 Luceat in nobis, et justae pectora nostra
 10 assimilet Legi, quae data voce Dei est.
 11 Te vere, aeternumque patrem ut cognoscere possim,
 12 et motus habeant, quos tua verba docent.
 13 Haec nos flamma tibi jungat, summoque parenti,
 14 ipse sit in nobis jam nova vita Deus.
 15 Non sine doctrina venit haec in pectora flamma :
 16 disce igitur studiis et pia vota juves.

DE COMMENTARIO EPISTOLAE AD COLOSSENSES, AD MATTHIAM PANNONIUM.

E_1_71 v.1 Paulus ad exiguas quae misit scripta Colossas,
 2 aspera nobilium quas tenet ora Phrygum ;
 3 exposui, ut rudibus sententia planior esset,
 4 et facilis fieret lectio, grata magis ;
 5 non ego praestigiis involvo sophismata caecis,
 6 namque pios non hoc ludere more decet.
 7 Non aliam sensit graviolem Ecclesia pestem,
 8 nec res ulla magis perniciofa fuit :
 9 quam structae insidiae verbis, confusaque dicta,
 10 turpiter et fuco dogmata mixta novo.
 11 Quare doctrinam Christi sine fraudibus ullis
 12 explico, et ut prosim, maxima cura mihi est.
 13 Hic quoque collegi res, vitae et moribus aptas,
 14 non igitur munus spernito quaeso meum.

COLLATIO DE IMPOSITIONE MANUUM IN DEDICANDO SACERDOTE,
ET DEDICANDA VICTIMA.

E_1_72 v.1 Mos vetus, et prima deductus origine mundi,
 2 traditus et sancta religione patrum,
 3 sacrifici manibus pecudis contingere frontem,
 4 hostia quae pura est jam facienda Deo.
 5 Norma sacerdotem similis cur dedicat ipsum,
 6 imposita cur sit sanctus et ipse manu
 7 testatur ritus puram esse, Deoque dicatam,
 8 ante aras pecudem quae ferienda cadet.
 9 Sic inculpatum mos hic jubet esse ministrum,
 10 qui jam doctoris munus obire volet.
 11 Non aliquo sit mens polluta errore profano,
 12 vitaeque ad exemplum crimine tota vacet.
 13 Addictusque Deo divina oracula tradat,
 14 officii metas norit et ille sui.
 15 Lege datos fasces aliis permittat habendos,
 16 nec rector trepidi gestiat esse fori.
 17 Non fulgi frenos populari deditus aurae,
 18 nec morum laxet vincula grata Deo.
 19 Nolit ad affectus regum, caecosque furores
 20 flectere ceu turpis juraque fasque Gnato.

21 Quique manum imponit rectoris nomine summi,
22 semper ut huic curet subditus esse jubet.
23 Doctrinam, moresque rogant caelestia dicta,
24 et nova non ausit condere jura sibi.
25 Heu quantum rerum molem, quae pondera Doctor,
26 infirmis humeris ille gerenda subit ?
27 Seu cupidus Regum mentes frenare studebit,
28 seu populum ad mores vult revocare bonos.
29 Numina seu conficta dolo detrudet ab aris,
30 impia Pontificum diminuetque lucra.
31 Seu fictam monachis personam detrahet, atque
32 asseret aeterni dogmata vera Dei.
33 Quas feret aerumnas furiis agitantibus hostes ?
34 Tollere qui e medio tale Catharma volent.
35 Sic etiam Doctor sincerus victima fiet,
36 assidueque litat sanguine et ipse suo.
37 Ecce tenes causas, cur ritus dedicat idem,
38 et pecudem et mysten qui pia sacra facit.
39 Ista sacerdotis Christi verissima imago est,
40 muneris huic detur gloria prima sacri.
41 Hic sine labe fuit, claraque in luce parentem
42 et videt, et vero semper honore colit.
43 Huic Deus ipse manum imposuit, jussitque docere
44 arcana aeterno dogmata prompta sinu.
45 Hunc pressere manus et jussa severa parentis,
46 supplicio ut lueret crimina nostra suo.
47 Hunc licet inferior, comitatur cetera turba,
48 officii titulum cui dedit ipse sui.
49 Vult Evangelii custodes semper haberi,
50 militia socios semper et esse suae.
51 Cum mater vocat hos Ecclesia nomine Christi,
52 mandat et imposita munera sacra manu :
53 admoniti discant istius imagine ritus,
54 hic ordo quantum polliceatur opus.
55 Ut pecus ante aras quondam sacrata cadebat,
56 tosta Deo ut fierent viscera suavis odor ;
57 victima sic etiam Christo fit quisque sacerdos,
58 laudibus ut fragrent terra, polusque Dei.
59 Talis Abel tenerum pure mactaverat agnum,
60 agnus at exitio mox datus ipse fuit.
61 Consilio patrias Esaias rexit habenas,
62 et trepidis portus civibus ille fuit.
63 Depulit Assyrium Solymis a moenibus hostem,
64 victori ponens clara tropaea Deo.
65 Jamque senex centum vitae confecerat annos,
66 cum serra scissus victima et ipse fuit.
67 Nemo potest memorare omnes, spectabimus omnes,
68 cum Deus induerit corpore quemque novo.
69 Talia sed quaedam prodest exempla tenere,
70 non Baptista igitur praetereundus erit.
71 Hic Evangelio monstrato tradidit Agno,
72 placatum nobis qui facit esse Deum.
73 Et Pharisaeorum taxant deliria, ritus
74 fucosos vetuit pro pietate sequi.
75 Justificamque fidem docuit Jordanis ad undam,
76 et rupes Gnatum jam sonuere Dei.

77 Sordibus humanis Lex obscurata jacebat,
78 huic etiam lucem reddidit ille suam.
79 Congrua descripsit civilis munera vitae,
80 juraque militibus, iudicibusque dedit.
81 Atque fidem jussit lucere in rebus agendis,
82 notior ut fieret gloria vera Dei.
83 Conjugii sancit legem, damnatque Thyesten,
84 uxorem, fratris qui rapere ausus erat,
85 quare Baptistam crudelis adultera perdit,
86 qui moriens veluti victima caesa jacet.
87 Notitia Christi Stephanus, non sanguine Tauri
88 restitui vitae dona perennis, ait.
89 Contio Pontifices ingrata accendit avaros,
90 in caput ut jacerent aspera saxa viri.
91 Utque alios multos sileam, fit victima Paulus,
92 Eoo Christi nomen ab orbe gerens.
93 Et dum sex lustris terraque marique vagatur,
94 ac Evangelium spargit ubique Dei :
95 et negat exstingui mentem divinitus ortam,
96 corporis e vinculis quando soluta fugit.
97 Proponensque malis poenas, et praemia justis
98 arbitrio vero distribuenda Dei :
99 justitiam monstrat, quam Christi propter honorem
100 aeternus nobis dat Pater, atque probat.
101 Interea pugnae, pugnisque pericula juncta,
102 tam longo exercent tempore mille virum.
103 Dum tandem ferienda dedit sua colla Neroni,
104 et jacuit tamquam vile cadaver humi.
105 Nostra etiam vidit quamquam infeliciores aetas,
106 qui vitae Christum praeposuerunt suae.
107 Hic ubi diviso Batavorum est insula Rheno,
108 Suduaniam in ripa, dure Sicamber, habes.
109 Haec tulit Henricum civem, quem vidimus ipsi,
110 florentem studiis, ingenique bonis.
111 Hic toto Christi spirabat pectore amorem,
112 cui studuit vera reddere vota fide.
113 Eximiaque suos mores pietate regebat,
114 virtutum exemplum posset ut inde capi.
115 Quicquid id est, quod de natura Graecia scripsit,
116 artibus excultus norat et ille bonis.
117 Quas teneat metas dum totum perficit annum,
118 aureus obliquo Phoebus in orbe means.
119 Longius a terra cum summo tardus in axe
120 volvitur, aere cur premit aestus agros.
121 Cur, quoties imo velocior ibit in axe
122 et propior terrae, frigida bruma venit.
123 Haec ita contemplan auctorem, agnoscere jussit,
124 et pura grates dicere mente Deo.
125 Haec ait ostendunt nobis illustria signa
126 aeterna mundum non sine mente regi.
127 Altera sed potior fuit illi cura tenere,
128 exstant quae nobis tradita voce Dei.
129 Hoc Doctore iterum Bremensi inclaruit urbi
130 unius Christi munere parta salus.
131 At quia divinos status detraxit honores,
132 exitium Monachi qualibet arte struunt.

133 His furiis mitrae ornatus dedit arma Tyrannus,
 134 qui tandem oppressum non procul urbe necat.
 135 Heu cur tam subito orbata est Ecclesia tali
 136 lumine, quo post hac debuit illa frui.
 137 O dilecte mihi ante alios Henrice, laboris
 138 nunc partem nostri te tolerare velim.
 139 Talia praeconum quamvis sunt fata piorum,
 140 membra jacent saevis et lacerata modis ;
 141 non periere tamen, sed habent commercia laeti
 142 cum Christo, vivis agminibusque patrum.
 143 Hujus, cum stanti tibi frons tangetur ad aram,
 144 te fieri socium noveris ipse chori.
 145 Pontificemque scias tibi Christum imponere dextra,
 146 poscenti vires et dare velle novas.
 147 Pro quanto a falsis mystae discrimine veri
 148 distant, hoc etiam nos meminisse decet.
 149 Nemo potest umquam censeri jure sacerdos,
 150 contra Evangelium qui fera bella gerit.
 151 Quique furens audet nova fingere Numina, quique
 152 sacra facit nulla tradita voce Dei.
 153 Tales sacrifici celebrabant Orgia Baccho,
 154 errans cum thyrsis ebria turba suis.
 155 Et Salii Martis tales ignota sonabunt
 156 carmina cum gererent scuta vetusta manu.
 157 Sacrificos similes creat et nunc Roma profana,
 158 qui propter ventrem numina falsa colunt.
 159 Hos fuge, et a veris Christi discerne ministris,
 160 pure Evangelii qui pia jussa docent.
 161 Denique vota pii faciant, summumque parentem
 162 assiduis precibus, quod jubet ipse, rogent,
 163 ut populum per quem vero celebretur honore,
 164 augeat, et semper protegat, atque regat.
 165 Felicesque duces addat, doctosque ministros,
 166 larga Evangelii messis ut esse queat.
 167 Arceat et Christi grassantem dextra Draconem,
 168 ne feros humanum devoret omne genus.
 169 Servet opus Pater aeternus quod condidit, atque
 170 notitiam exstingui non sinat ipse sui.

PAULUS EBERUS, EX ESAIAE 49.

E_1_73 v.1 Num poterit mulier curam deponere nati ?
 2 Ut sobolem mater negligat ipsa suam.
 3 Pone, quod eveniat, genitricis ut exuat omnem
 4 affectum mulier, saevior illa feris.
 5 Ipse tui numquam tamen obliviscar in aevum,
 6 inque mea tua sunt nomina scripta manu.

PHILIPPI MELANTHONIS EPIGRAMMATUM LIBER SECUNDUS.

DE CONSIDERATIONE HUMANI CORPORIS.

E_2_1 v.1 Non casu volucres Atomi sine mente ruentes
 2 hanc mundi formam progenuere novam :
 3 formatrix sed mens sapiens ac optima mundi est,
 4 consilio servans condita cuncta suo.
 5 Quae clara impressit passim vestigia rebus,
 6 conditor agnosci possit ut inde Deus.
 7 Nosse vias numerorum ac ordinis, atque tenere
 8 immotum recti iudicium, atque mali :
 9 non haec ex caecis atomis sapientia venit,
 10 verum est naturae prospicientis opus.
 11 Sic etiam positus caeli, terraeque perennes,
 12 quodque trahunt certae sidera cuncta vices :
 13 testantur vere Numen sapiensque bonumque
 14 esse, quod has leges condidit, atque regit.
 15 Sic non humano concreta in corpore membra
 16 sponte sua, et casu nata sine arte putes.
 17 Singula consulto certos distinxit ad usus,
 18 cum templum vellet nos Deus esse sibi.
 19 Divina in cerebro radios sapientia spargit,
 20 cum Verbo mentes, luce suaque regit.
 21 At cor justitiae domus est, sentitque dolores,
 22 cum punit sontes vindicis ira Dei.
 23 Afflatuque Dei purgatum gaudia sentit,
 24 et vita fruitur non pereunte Dei.
 25 Formatum ad tantos corpus cum videris usus,
 26 factorem agnoscas et venerere Deum.
 27 Ipsius et templum non labes ulla profanet,
 28 pollutum abjiciat ne gravis ira Dei.

SOLONIS ELEGIA CITATA A DEMOSTHENE,
 DE CAUSIS QUAE AFFERUNT EXITIUM REGNIS, ET MAGNIS CIVITATIBUS,
 CONVERSA A PHIL. MELANTH.

E_2_2 v.1 Non urbem superi cupiunt evertere nostram,
 2 et nobis, nisi sint Numina laesa, favent.
 3 Ac nostrae custos arcis Tritonia Pallas,
 4 perpetua cura moenia nostra tegit.
 5 Ipsi sed patriam sceleratis mentibus ultro
 6 conantur cives dilacerare suam.
 7 Nam pretio quidam vendunt legesque fidemque,
 8 aurum qui nullo jure modoque petunt.
 9 Saevitiam exercent, et tristia crimina caedis,
 10 induat ut justus civibus arma dolor.

11 Pars studet et sancire domestica damna rapinis,
 12 exhaust patrias cum male luxus opes.
 13 Diripiuntque urbis patrimonia publica nostrae,
 14 et sibi divitias vique doloque parant.
 15 Et non justitiae formidant numen et iram,
 16 consiliis superum quae Dea semper adest.
 17 Haec oculis cernit vigilantibus omnia facta,
 18 nemo putet falli Numina posse Deum.
 19 Et quamvis poenas differt aliquando, tacetque :
 20 mente tamen memori facta nefanda notat.
 21 Exigit et tandem poenas non regna nec urbes
 22 effugiunt clades, quas meruere, graves.
 23 Hinc urbs divitiis quondam, imperioque superba,
 24 servitii patitur tristia jura modo.
 25 Aut rabidi cives in mutua vulnera stringunt
 26 exorta gladios seditione suos.
 27 Aut validos hostes sine causa forte lacessunt,
 28 sopitumque movent quod fuit ante malum.
 29 Namque urbs, quae socios injustis provocat armis,
 30 mox ruet, et subitis est peritura modis.
 31 Casibus his validae gentes delentur et urbes,
 32 pro spreta poenas quae pietate luunt.
 33 Et si qui patriae excidio fortasse supersunt,
 34 posthac fata illos non leviora manent.
 35 Extorres, sine spe, sine sede, inopesque vagantur,
 36 aut empti pretio vincula dura gerunt.
 37 Sic partem fert quisque suam cum publica clades
 38 incidit, et prohibet janua nulla malum.
 39 Non latebrae quemquam fugientem abscondere possunt ;
 40 intrant in thalamos publica damna tuos.
 41 Haec moneo cives, nec fabula ficta putanda est :
 42 leges atque Deum spernere, crede, nocet.
 43 Sed placidam retinet pacem reverentia juris,
 44 peccanti quae non parcere lenta solet.
 45 Haec prohibet turpem luxum, frenatque rebelles,
 46 crescere nec patitur semina sparsa mali.
 47 Judicis emendat fraudes, violentaque facta,
 48 nasci inter cives dissidiumque vetat.
 49 Denique vita hominum tranquilla et honesta manebit,
 50 servandi leges dum pia cura manet.

DE OPPIDO TORGA, QUAE IN TABULIS PTOLEMAEI EXISTIMATUR ESSE ARGELIA.

E_2_3 v.1 Urbs vetus est gentis Mysorum nomine Torga,
 2 hic sitae ubi flavis labitur Albis aquis.
 3 Quae fausta quondam dicta est Argelia voce,
 4 in tabulis veterum ceu monumenta docent.
 5 Nec vocem Graecam terris miremur in istis,
 6 Ionicae genti Mysia mixta fuit.
 7 Forsitan ista fuit dominorum regia sedes,
 8 hinc solare jubar nomina clara dedit.
 9 At quamvis urbes fatalia tempora mutant,
 10 et caelum patria est unica firma piis :
 11 hic ubi semper erit Deus omnia in omnibus idem,
 12 luce sua mentes justitiaque replens :

13 motibus in tantis tamen haec Argelia restat,
 14 possidet et decus hoc de bonitate Dei.
 15 Lux Evangelii quod in ista spargitur urbe,
 16 cum qua semper adest Filius ipse Dei.
 17 Istius hic urbis Sol est, hic colligit agmen,
 18 justitiae radios cui dat habere suae.
 19 Donat et aeternae cunctis exordia vitae,
 20 justifica accipiunt qui bona tanta fide,
 21 hic populi frenat legum reverentia mores,
 22 et censura gravis turpia facta notat.
 23 Adde quod imbuitur doctrinae lacte Juventus,
 24 et legit a summo tradita scripta Deo.
 25 Haec teneris animis ostendit lectio Christum,
 26 et nova virtutum semina sparsa fovet.
 27 Saxoniaeque aliquot ducibus nascentibus ortu
 28 in primo hospitium Torga fidele dedit.
 29 Fridericus sapiens princeps hac natus in urbe est,
 30 promeruit patriae qui pater esse suae.
 31 Consilio qualis Nestor fuit inter Achivos,
 32 Teutonicis ducibus Nestor et iste fuit.
 33 Et cum doctrinae lucem renovare Lutheri,
 34 cepisset scriptis Filius ipse Dei.
 35 Istius pietas tutam et moderatio sedem
 36 concessit studiis docte Luthere tuis.
 37 Nomina quique tenet patris, patruisque Joannes
 38 Fridericus Torgae natus in arce fuit.
 39 Cui quamquam eripuit patriam sors aspera belli,
 40 non procul hinc Caesar cum sua castra locat,
 41 Non tamen eripuit virtutem et pectus honestum,
 42 et, qua Gnate Dei te colit ipse, fidem.
 43 Ergo et iudicio victoris digna favore est
 44 ipsius virtus, nescia mensque doli.
 45 Sponte sua libertatem qui reddidit ipsi,
 46 hoc quantum decus est Jan Friderice tibi ?
 47 Ah tandem lacrimae vincant pietate fluentes,
 48 ut Dominae reddas, optime Christe, virum.
 49 Exilii numerans quae jam contabuit annos,
 50 Dulichii conjunx ceu generosa viri.
 51 At vivit tamen et superat longe Icariotin,
 52 confidit tantum nam bonitate tua.
 53 Redde patrem natis sic exspectantibus ipsum,
 54 ut vult Telemachus posse videre patrem.
 55 Qui reliquos fratres annis praecedit, et ipsi
 56 nascenti hospitium Torga fidele dedit,
 57 hanc urbem, totamque oram tua dextera servet.
 58 Semper et hic coetum collige, Christe, tibi.

AD STUDIOSAM JUVENTUTEM.

E_2_4 v.1 Si decus Ausoniae linguae retinere studetis
 2 si cupitis recte verba latina loqui,
 3 cura sit a teneris Vatum cognoscere scripta,
 4 eloquii fontes hos sciat esse puer.
 5 Horum pectoribus motus Deus indidit acres,
 6 sublimemque dedit Musa canora sonum.

7 Verum non satis est legisse poemata tantum,
 8 accedat studiis altera cura tuis.
 9 Ut doctis digitis exempla effingere certes,
 10 cogere et in numeros verba soluta novos.
 11 Hic labor ingenii vires acuitque fovetque
 12 hinc venit eloquii copia, forma, nitor.
 13 Hoc si languescet studium, si ignara Juventus
 14 non perferre volet taedia longa styli :
 15 hei mihi quae clades reliquas iterum obruet artes
 16 barbaries tenebras invehet atra novas.
 17 Ad Vates igitur docilis revocanda Juventus,
 18 hinc sibi sermonis lumina clara trahat.
 19 Et quamquam oblectent numerique sonique legentem :
 20 rerum animos gravitas plus tamen ipsa capit.
 21 Naturam rerum totam pinxere poetae,
 22 et morum quae sit norma sequenda docent.
 23 Hi monstraverunt caeli fastigia primum,
 24 non mergenda mari quae Cynosura notat,
 25 ut teneant metas errantia sidera certas,
 26 signifero Phoebi quae sit in orbe via.
 27 Tardior aestivo cur Phoebus in axe vehatur
 28 cum superat noctis tempora longa dies.
 29 Brumaque cur noctes extendat frigida, quando
 30 ima tenet celeres orbita solis equos.
 31 Lumine cur careat cum Soli proxima Luna est,
 32 et medio fratrem cur tegat ipsa die
 33 ut Lunam involvat tellus ingentibus umbris,
 34 et vetet opposito lumine posse frui.
 35 Quasque vices servent orientia sidera caelo,
 36 et quo discedant ordine mersa mari,
 37 quae stellae diros moveant, urantque cometas,
 38 ac flammis istis suppetat unde vapor.
 39 Ne causas recitant tantum, sed fata poetae
 40 describunt, fieri nec temere ista monent.
 41 Esse Deum rerum auctorem testantur, et istum
 42 mentibus humanis haec dare signa ferunt.
 43 Cui non res libeat studiose inquirere tantas ?
 44 Dura nisi cui mens est adamante magis.
 45 Has complectuntur vatium monumenta bonorum,
 46 quantum ipsas homini cernere posse datur.
 47 Ergo dexteritas, et docti cura Mycilli
 48 ad Musas lector cum tibi monstret iter :
 49 hoc duce Parnassi celsas ascendito rupes,
 50 et tua doctrinae fontibus ora riga.

IN EPICEDION MELCHIORIS ACONTII DE ERASMO ROTERODAMO SCRIPTUM.

E_2_5 v.1 Quamvis ingrata est hominum natura, nec umquam
 2 reddere pro meritis, praemia justa solet.
 3 Nulla tamen laudes aetas abolebit Erasmi,
 4 non omnino mori gloria vera potest.
 5 Scriptorum utilitas ingens fastidia vincet,
 6 et mixtae Charites, et nitor atque lepos.
 7 Non aliena augent igitur praeconia famam,
 8 aeternum peperit nam decus ipse sibi.

9 Sed tamen est pietas meritis hunc reddere honorem,
 10 et grata munus voce referre datum.
 11 Hoc animo carmen facundus Acontius edit,
 12 quo celebrat laudes Roterodame tuas,
 13 Non vena indigna est, quae magnum cantet Erasmus,
 14 officii laudem sed magis ille petit.

DE INGRATITUDINE HOMINUM.

E_2_6A v.1 Sunt homines, humeris quos si quis gestet ad urbem
 2 Ausoniam, domiti quae caput orbis erat ;
 3 nec tamen ad portam placide deponat eosdem,
 4 gratia praeteriti nulla laboris erit.

ITEM.

E_2_6B v.1 Ingrato cuculus nutricem devorat ore,
 2 et miserae pietas officiosa nocet.
 3 Hei mihi quam scelus hoc imitantur saepe volucres,
 4 pectora queis cygno candidiora putes.

DE ECLIPSI LUNAE QUAE ERAT DIE 28. OCTOBRIS ANNO 1547.

E_2_7 v.1 Certa Deus toti impressit vestigia mundo,
 2 agnosci sapiens conditor unde queat.
 3 Nec natas casu res esse, ars indicat ipsa,
 4 stellarum motus quae regit atque vias,
 5 esse Deumque docet menti lux insita nostrae,
 6 separat a factis quae vitiosa bonis.
 7 Conscia corda Die cum justam vindicis iram
 8 quolibet admissio crimine maesta tremunt.
 9 Et semper culpam poenae comitantur atrocem,
 10 et si sera, tamen praemia laudis erunt.
 11 Non urbs, non regio, non aetas ulla severi
 12 iudicii exemplis, non domus ulla caret.
 13 Ac Deus ut flectat nos ad meliora, stupendis
 14 incautos signis praemonet ipse datis.
 15 Saepe timent aliquem conterrita sidera casum,
 16 saepe ingens tellus ceu ruitura tremunt.
 17 At quos nulla movent venturae nuntia poenae,
 18 Cyclopaum similes forsitan esse volent.
 19 Sponsi Penelopes minitancia numina rident,
 20 cum cernunt tota tristia spectra domo.
 21 Cumque madent taetro sudantia saxa cruore,
 22 et subitum Phoebum Cynthia nocte tegit :
 23 mox tamen hunc risum Sardoum poena secuta est,
 24 qualis contempti Numinis esse solet.
 25 Nos igitur moniti tollamus lumina ad astra
 26 non aspernantes signa verenda Dei.
 27 Hesperias Phoebus cum cras mergetur in undas,
 28 Luna tenebrosum proferet atra caput.
 29 Postque dies, aliquot cum jam decreverit Orbis,
 30 venit et ad fines cum Nepa, Luna, tuos :
 31 horrenda involvet fratris caligine vultus,

32 cum jam de caeli culmine ducet equos.
 33 Et simul in tenebras incurrent Marsque Venusque
 34 callidus et fraudum structor Atlantiades.
 35 Heu mihi quos motus populi, quantosque furores,
 36 portendunt taetro, sidera juncta loco ?
 37 Haec licet astra regant homines, regit attamen astra
 38 noster, qui non vult Stoicus esse, Deus.
 39 Nos igitur quibus est afflicta Ecclesia curae,
 40 assidue oremus supplice voce Deum :
 41 leniat ut clemens haec tanta pericula nobis,
 42 et sanet populi vulnera saeva sui.

DE ECLIPSI DIE LUNAE, 24. JANUARIII ANNO ETC. 44.

E_2_8 v.1 Obscura donec tegitur caligine Phoebus,
 2 usuram nec dat luminis ipse sui :
 3 auditor luctu veros ostende dolores,
 4 utque Deus poenas mitiget, adde preces.
 5 Omittenda igitur nunc est praelectio nobis,
 6 cras vero ut redeat laetior hora precor.

GIGANTES CLAMORE ASINI DISSIPATI.

E_2_9 v.1 Impia cum ruerent Titanes in arma furentes,
 2 conati aethereas profodere ense domos :
 3 Jupiter ut patriis depelleret arcibus hostes,
 4 his tamen incussus nec pavor inde foret :
 5 mentitis imitans Pan Aegocerota figuris,
 6 terruit hac specie grandia monstra truci.
 7 Sed neque tunc fracti bello cessere Gigantes,
 8 Bacche tuus vector donec Asellus abest.
 9 Ille rudens rauco dum classica personat ore,
 10 anguipedes turpi dant sua terga fugae.
 11 Haud secus Autolyçi callentes furta Sophistae,
 12 dicentes vero crimina multa Deo :
 13 terribili fugient Asini clamore repressi,
 14 bella "mataiologon" exitus hic sequitur.

CARMEN AD RECTOREM ET PROFESSORES INCLUTAE URBIS MARPURGENSIS,
 SCRIPTUM IN ITINERE A PHILIPPO, CUM PROFICISCERETUR AD COLLOQUIUM
 IN URBE VANGIONUM, ANNO 1557.

E_2_10 v.1 Cum redit Assyriis Isaaci gnatus ab oris,
 2 uxores secum filiolosque trahens,
 3 nec tantum ignotas gentes, et barbara corda,
 4 verum etiam socerum, fratris et arma tenet :
 5 hunc "loge" gnate Dei tua dextera texit, opemque
 6 luctanti, ut claudus vinceret ipse, tulit,
 7 sic iter ingressus nos ad certamina saeva,
 8 plena futura odii, plena futura doli :
 9 "Protege, Gnate Dei, nos consilioque gubernas,
 10 hostilis rabies ne nocuisse queat."
 11 Ut vero Isacidæ concessit Amygdalus umbram,

12 urbis et exiguae jus dedit hospitii :
 13 sic nos excipiat fessos Academia vestra,
 14 quae candore suo vincit amygdalium.
 15 Non fertur casu natura sine ordine, sed mens
 16 formatrix rebus signaque vimque dedit.
 17 Fructus Amygdalinus foris est lanugine cinctus,
 18 dura magis sub qua lignea claustra manent.
 19 Nucleus in medio suavis latet atque salubris,
 20 qui cibus est nobis et medicina simul.
 21 Prima aetas molli doctrinae voce regenda est,
 22 jucundisque typis, ista putamen erunt.
 23 Durius hinc custos lex est, sontesque trucidat,
 24 ac omnes homines iudicat esse reos.
 25 Sed trepidis Evangelii vox grata medetur,
 26 haec sunt Isacidae significata seni.
 27 Ergo scholae similis credatur amygdalus esse,
 28 in qua doctrinae vox sonat una Dei.
 29 Congruit hoc etiam vulpes quod amygdalae amarae,
 30 gustatae subita morte necare solent.
 31 Sic Schola flexiloquos exstinguit casta Sophistas,
 32 ars quibus Archilochi vulpis et acta placent.
 33 Vestra igitur cum sit custos Academia veri,
 34 quaerimus hic umbras nos quoque amygdalinas.
 35 Sed jure hospitii date xenia mitia vina,
 36 sintque unum in vero pectora nostra Deo.

DE NOMINE MARGARIDOS IN NUPTIIS D. DAVIDIS CHYTRAEI.

E_2_11 v.1 Margaris in conchis oritur dulcedine roris,
 2 nomina quae sponsae Margaris apta dedit.
 3 Rorem Evangelii quo pingit nomine Christus,
 4 mens pia quem sitiens ceu nova concha rapit.
 5 Sicut arenoso sitiens in litore concha,
 6 quando suum primum ver modo tempus agit ;
 7 siccior a caeli stillantem cardine rorem,
 8 pinguior ut fiat fertilitate, petit ;
 9 quo bene nunc hausto (quod et est mirabile dictu)
 10 gemma salutaris cordibus inde venit ;
 11 haec tamen in magnis generosior acta procellis,
 12 si modo post rorem turba sequatur, erit ;
 13 parva redemptoris sic est Ecclesia Christi,
 14 donec in hac mundi colluvione latet.
 15 Appetit a caelo caelestia dogmata, rorem,
 16 dogmata viventis tradita voce Dei.
 17 Hoc sic attracto sitiendi in pectore rore,
 18 nascitur inque animis mox nova gemma piis.
 19 Scilicet agnitio vero de nomine vera,
 20 cumque Dei surgit firma timore fides.
 21 Aeterni bonitas tunc fit conspecta parentis,
 22 quando fide pectus sentit adesse "logon".
 23 Haec lux atque fides inter certamina crescit,
 24 cum petit auxilium, maxime Christe, tuum.
 25 Haec quoque contriti cordis data gemma dolori,
 26 unica solamen quod medicatur, habet.

27 Praestat et aeternae verissima gaudia vitae,
 28 gaudia quae nullo sunt moritura die.
 29 Has propter causas ad gemmam dogmata pacis,
 30 filius aeterni comparat ipse Dei.
 31 Ergo bonis studiis decus, ornatissime David,
 32 qui vatum merito dignus es ore cani ;
 33 cum tua Margaridos conjunx pulcherrima nomen,
 34 omine tam rebus conveniente gerat ;
 35 te decet hoc ipso laetari nomine sponsae,
 36 quod monet ut Christi dogmata semper ames.

DE ABSOLONE FILIO DAVIDIS.

E_2_12 v.1 Degener immerito rapuisti sceptrata parenti,
 2 o juvenis patriae pestis acerba tuae.
 3 Digna tuis factis sed poena secuta, vagantem
 4 frondibus arboreis implicuere comae.
 5 Hasta Joab maduit forti vibrata lacerto,
 6 sanguine tranfixo pectore tincta tuo.
 7 Has scelerum poenas pulso dedit ille parente,
 8 i nunc et patriis insidiare bonis.

EPIGRAMMA QUO CONTRA PAPALIA MONSTRA COMMENDATUR CONJUGIUM PIUM.

E_2_13 v.1 Quicumque insano temnit connubia fastu,
 2 conjugii auctori displicet ille Deo.
 3 Namque adeo infectus primaevae crimine culpae,
 4 dum vitae affectat non nisi suave genus :
 5 non videt esse Dei munus quod sancit ipse,
 6 sancitumque sua pro bonitate juvat.
 7 Sed natus vitiis vivit, vitiisque senescit,
 8 invenit in vitiis et sua fata suis.
 9 I nunc et mundo vitam mentire pudicam,
 10 i nunc cum monachis impie Papa tuis.
 11 Ite quibus sordent civilis munia vitae,
 12 quae parit a magno consita planta Deo.
 13 Ite quibus sordent tenerae Davidis olivae,
 14 e quibus humanum prodiit omne genus.
 15 E quibus Imperia, et leges nascuntur, et urbes,
 16 longinqua celebrent ut pietate Deum.
 17 Dum loquor exitium felix tibi nuntiat omen,
 18 i nunc cum monachis impie Papa tuis.

DE MOTU ASTRORUM IN THEORICAS PLANETARUM.

E_2_14 v.1 Non ferri casu pulcherrima corpora mundi,
 2 verum mente regi, consilioque Dei :
 3 testatur Phoebus qui certis legibus annum
 4 conficit, et notis itque reditque viis.
 5 Et gratis vicibus lucem noctemque reducit,
 6 et tempestivo nata calore fovet.
 7 Temperat et radios quos excipit humida Luna,
 8 distinguens annum mensibus ipsa suis.

9 Denique cuncta suis labuntur sidera metis,
 10 naturam propriis officiisque juvant.
 11 Haec cum suspiciens oculis ac mente notabis,
 12 auctorem agnoscas, et venerere Deum.
 13 Hic nobis haustam proprio de pectore mentem
 14 inseruit, justis notitiamque dedit,
 15 Ergo etiam scelerum poenas hic exigit ultor,
 16 virtutumque dabit praemia grata piis.

DE TABULIS GEOGRAPHICUS.

E_2_15 v.1 Esse Deum, ostendit mundi pulcherrimus ordo,
 2 et distincta locis corpora prima suis.
 3 In medio terra est sedes animantibus apta,
 4 orbis quam circum lucidus astra vehit.
 5 Sunt quibus arte viae factae, metaeque perennes,
 6 nec casu ex atomis omnia nata putes.
 7 Aspicias igitur terras, ac astra, sciasque
 8 esse Deum, cujus nos quoque cura sumus.
 9 Et videas ubi non dubiis oracula signis,
 10 et leges dederit conditor ipse suas.
 11 Quoque loco fuerint Christi vestigia certa,
 12 qui "logos" est natus de genitore Deo.
 13 Et spectes fuerint ubi primum maxima regna,
 14 lapsa aliis populis cur dederitque Deus.
 15 Has igitur tabulas regionum cernere prodest,
 16 quae spectatorem talia multa monent.

EPIGRAMMA

E_2_16 v.1 Vincere difficile est tentant cum dulcia sensus,
 2 ni fugias, poena est saeva luenda tibi.
 3 Sed fuge, teque regi poscas a numine Christi,
 4 offendent quae non posse nocere putes.

DE LYRICIS POETIS.

E_2_17 v.1 Discite justitiam moniti, et non temnere Divos,
 2 nam sotes punit judicis ira Dei.
 3 Haec cum regna canunt eversa, ducumque furores,
 4 scriptores lyriici nos meminisse jubent.
 5 Pindarus haec melius cygnea voce canebat,
 6 tu tamen et Flacci carmina saepe legas.

IMPETUS POETICOS ESSE DONA DEI.

E_2_18 v.1 Humanas superans vires heroica virtus,
 2 tales qui motus dat, monet esse Deum.
 3 Sic etiam ubertas fundentis carmina venae
 4 esse Deum ostendit, motus et ille Dei est.
 5 Ergo agnosce Deum, et justo venereris honore,
 6 cum docti vatis scripta sonora legis.

IN ETHICA.

E_2_19 v.1 Non casu volucres atomi sine mente ruentes,
 2 hanc mundi formam progenuere novam.
 3 Formatrix sed mens sapiens, bona, libera, castae,
 4 omnia miranda condidit arte, Deus.
 5 Utque homines essent divinae mentis imago,
 6 attribuit radios lucis habere suae,
 7 notitias, quales divino in pectore lucent,
 8 addidit et legi congrua corda suae,
 9 eheu dissidium sed nostro crimine venit,
 10 utuntur flammis jam mala corda vagis.
 11 Notitiae mansere tamen, legesque severae,
 12 recte factorum regula ut esse queant.
 13 Et ne ceu pecudum sit vita sine ordine nostra,
 14 his externa Deus vult modo membra regi.
 15 Ut quamquam iratus gladium stringebat Achilles,
 16 ipse tamen reprimit cum ratione manus.
 17 Ex his notitiis divinis haec quoque fluxit
 18 doctrina, est ista quae recitata libro.
 19 In quo virtutum prodest simulacra videre,
 20 qualia mens hominis pingere docta potest,
 21 sed Sol justitiae radios in pectora spargens,
 22 Christus et adsimilans nos sibi luce sua.
 23 Virtutem accendit meliorem, nescia mortis,
 24 quae vivit flatu non moriente Dei.
 25 His igitur scriptis doctrinam adjungito Christi,
 26 ut vivens in te sit 'logos' ipse Dei.

INV. ETHICORUM ARISTOTELIS, AD DOCTOREM CHILIANUM GOLTSTEIN.

E_2_20 v.1 Qualis erat, terras cum nondum Astraea reliquit
 2 virgo, tibi si quid forte videre libet :
 3 spectandum in parva dabimus Chiliane tabella,
 4 Nicomachus pinxit, Nicomachive pater.
 5 Nativo poteris ubi nudam cernere cultu,
 6 odit mercatum, scilicet illa decus.
 7 Et vultus spernit medicatos : gratus at ille est,
 8 qualis Apelleis est color in tabulis.
 9 Hei facies quantum Chiliane haec distat ab illa,
 10 pingere quam vester Bartolus ille solet.

EPISTOLA DE CONVENTU RATISBONENSI, AD IOHANNEM CAESARIUM, ANNO 1541.

E_2_21 v.1 Hinc ubi collectis Ducibus jam Caesar ad Istrum,
 2 et justas leges, et pacis foedera sancit,
 3 et studet arbitriis aequis sedare tumultus,
 4 opto senex tibi perpetuam venerande salutem,
 5 cui pater assurgit medio de flumine Rhenus,
 6 in ripa quoties caelestia jussa sonantem,
 7 tradentemque audit praecepta salubria vitae,
 8 errantesque polo stellae qua lege vagentur,

9 quasque vices regnis portendant, fata, docentem,
10 ac hominum coetus ad munera justa vocantem,
11 aut si quando mones, qua rerum conditor arte
12 indiderit certas vires, et semina plantis,
13 nec caeco casu moles haec orta putetur,
14 facta sed aeterni mira ratione parentis,
15 utque hominum genus auctori curae esse sciamus,
16 hac ope qui jussit saevos depellere morbos,
17 et celeres vitae fugientes prorogat annos,
18 si modo donanti fuerit mens grata, fruique
19 arte sciet tantis donis, luxuque fugato
20 lege voluptates regere, et frenare studebit.
21 At quando recitas exempla vetusta juventae,
22 quas dederint poenas polluti caede Tyranni,
23 quas urbes, et quos reges incesta libido
24 vindicis ira Dei quam non placabilis urget,
25 perdiderit, Sybaris veluti Thebaeque nocentes
26 deletae subitis perierunt cladibus olim ;
27 sive ut collisae ruerint civilibus armis ;
28 artibus et virtute potens urbs Attica et hujus
29 aemula bellatrix Spartae, dum gloria utramque
30 acribus exacuit stimulis, regnique cupido.
31 Sive ut Cliniades inconstans foedera saepe
32 turbarit, patrias et tandem everterit arces,
33 quas iterum tamen erexit virtute receptas
34 justior, et veros meritus Thrasybulus honores.
35 Sive duces inter quoties certamina Romae
36 moverit ambitio, et totum concusserit orbem.
37 Talia proponens vitae simulacra regendae,
38 esse Deum memoras, qui reddit praemia justis,
39 et scelerum poenas atroces exigit ultor.
40 Hortarisque sequi bona non peritura juventam.
41 Felix qui studiis traducis talibus aevum,
42 multorumque juvas vitam, moresque gubernas.
43 Ac veluti Nestor populumque ducesque regebat,
44 Atridae fuerant qui classem et signa secuti :
45 sic tua doctorum miratur verba senatus,
46 sic et ab ore tuo pendet studiosa juvenus.
47 O utinam doctas audire et reddere voces
48 hos inter coetus istic mihi Jane liceret.
49 Id longe mallet, quam quo rapit impetus aulae
50 conventus Regnum sectari, et quaerere frustra
51 Centauros inter, qui legum vincula spernunt,
52 inter et Autolyçi callentes furta Sophistas,
53 ut lacerum Christi corpus, discerptaque membra
54 sanari, et melius possint coalescere rursus.
55 Heu quam saeva cient nobis haec proelia utrique,
56 Centauri exitium divis, caeloque minantur.
57 Sed tentant fraudes, et pugnant arte Sophistae,
58 praestigiasque oculis, animisque offundere certant,
59 inque novos vertunt caelestia dicta cothurnos.
60 Horum jam videas odiis, rabidoque furore
61 misceri patriam, scelerataque bella moveri,
62 caede sacerdotum pollutaque templa piorum
63 vastari, et tales everti a sedibus urbes.
64 Ni Deus, ut servet Doctrinae semina verae,

65 praecones fidos tegetet, mentemque potentis
 66 flecteret Augusti placidam ad moderamina tanti
 67 lenia dissidii, ac ad justae pacis amorem.
 68 Hic vetat in patriae grassari viscera cives,
 69 hic aris parci mandat, legesque vereri,
 70 hic prohibet superum Mystas attingere ferro.
 71 Semper ut haec Caesar faciat mitissimus, ipsi
 72 Nate Deo, populisque tuis concedito, Christe.
 73 Nec de conventu plura adjicienda putavi
 74 in quo magnanimo melius nil Caesare vidi.
 75 Tu vero venerande senex salveque, valeque,
 76 quem colo Telemachus coluit ceu Nestora Regem,
 77 justitiam senis admirans, et pectora plena
 78 consilii, et linguae facundae dulcia plectra.

SOMNIUM PHILIPPI DE HYAENA IN COMITIIS RATISBONENSIBUS.

E_2_22 v.1 Me jussere Duces fallacem pingere Hyaenam,
 2 et monstri speciem proposuere mihi.
 3 Taetra erat ex variis moles confusa figuris,
 4 tectaque liventi sanguinolenta cute.
 5 Virginei vultus, sed torva micantia flammis
 6 lumina saevitiae tristia signa dabant.
 7 A collo gemini pendebant membra Draconis,
 8 Scyllaei tandem pars erat ima pedes.
 9 Horrebam aspiciens, et toto corpore sanguis,
 10 ac paene extincto sanguine vita fugit.
 11 Ut pingam tamen illi urgent, non obsequor, aio
 12 iratus, pingi non bene posse pedes.
 13 Quo ruitis proceres ? Qui mentes occupat error ?
 14 Cur templo infertis talia monstra Dei ?
 15 Excutior somno, gelidus cum pectore manat
 16 sudor, et e subito membra pavore stupent.
 17 Non nihil hac moneor fortassis imagine, sed te
 18 Christe rogo, ut praesens pectora nostra regas.

IN CONTIONEM LEPORUM AD LEONES,
 CUJUS FIT MENTIO APUD ARISTOTELEM 3. 'POLITEIÔN'.

E_2_23 v.1 Cum veluti lepores dare jura leonibus audent,
 2 hi sacra, qui populum verba, fidemque docent.
 3 Conanturque truces sine vi frenare Tyrannos,
 4 contempti poenas pro pietate ferunt.

IN WINTONIENSEM DEFENSOREM CAELIBATUS.

E_2_24 v.1 Qui castitatem magnis laudibus vehis,
 2 contraque sanctum disputas connubium,
 3 tu quisquis ille caelibum admirator es,
 4 omitte jam tua cogitata callida
 5 de conjugum ac de caelibum discrimine,
 6 et te, tuosque contuere caelibes,
 7 quae vestra vitae puritas sit istius.

8 Quod si impudicitiae omnibus plenam notis
 9 libidinumque spurcitati videris,
 10 fucis nefandas turpitudines novis
 11 ornare cesses. Falsa enim praeconia
 12 mores refutant et tui et gregalium.
 13 Nam quid, Deus bone, tu, tuumque istud genus
 14 effeminatum, molle, quale erat Phrygum,
 15 Idaeae currum qui sequentes per juga
 16 Matris Deorum pulsitabant tympana,
 17 de continentia, atque castis moribus
 18 speciosa verba sanctimoniae datis,
 19 non castitatem vos profecto quaeritis,
 20 sed hujus ut sub dignitate et nomine
 21 impune libereque turpitudini,
 22 et serviatis moribus nequissimis.
 (2 vers en Grec)

DE LECTIIONE HISTORIARUM.

E_2_25A v.1 Ipse Deus metas annorum condidit arte,
 2 quas oculis simul et mente notare jubet.
 3 Ut generi humano sint nota exordia mundi,
 4 ex atomis casu ne coiisse putes.
 5 Utque Deus, quo se patefecerit ordine constet,
 6 quaeque sit e caelo vox data prima Dei.
 7 Et quando fuerit venturus victima ut esset,
 8 Aeterno natus de genitore "logos".
 9 Quodque habeant finem mortalia cuncta sciendum est
 10 iudiciumque instet quando tremenda dies.
 11 Annorum, rerumque igitur sit notus ut ordo,
 12 regnorum historia est tota legenda tibi :
 13 Haec etiam ostendit divinum numen adesse,
 14 quod nos justitiam nosse, et amare docet.
 15 Punit et injustos magnis cruciatibus omnes,
 16 ne dubita, injustis Lex rata semper erit.

ALIUD.

E_2_25B v.1 Oceani rapidis ut ventis unda cietur,
 2 semper habent varias sic quoque regna vices.
 3 Ultima sed motus graviores sentiet aetas
 4 impia Turcorum quae modo regna videt.
 5 Christe, tua hos inter fluctus quassabitur Argo,
 6 attamen hanc rabies mergere nulla potest,
 7 nos prolata tuo qui dogmata discimus ore,
 8 in cymba serves, optime Christe, tua.

DE INITIIS DOCTRINAE PHYSICAE.

E_2_26 v.1 Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
 2 naturae varias et didicisse vices.
 3 Si tamen auctorem primum mens quaerere curet,
 4 omnia nec casu corpora nata putet.

5 Esse Deum mentem aeternam, quae condidit arte
6 praesentique suum numine servat opus :
7 agnoscas, quoties in caelum lumina tollis,
8 et stellas certis motibus ire vides.
9 Seu quoties hominis naturam introspicis, atque
10 effigiem nobis cernis inesse Dei.
11 Hunc rerum fontem si contemplabere : fructus
12 magnos de physicis haec tibi scripta ferent.

WORMATIAE ANNO 1540. SYMONI GRYNÆO.

E_2_27 v.1 Quod Tullii tribuis laudes mihi docte Grynaee,
2 hei nimium dici forte Poeta studes.
3 Effinxit Siculus caeli terraeque figuras,
4 et quas efficiunt sidera pulchra vices :
5 non tamen ille Deo potuit se aequare magistro,
6 qui vitam et motum rebus inesse dedit.
7 Eloquium Tullii sic nemo expresserit umquam,
8 quod fudit motu mens agitata Dei.
9 Nemo Pericleo quamvis sit praeditus ore,
10 assequitur laudes Marce diserte tuas.
11 Interea tenui vena praeconia Christi
12 dicere si potero, sat mihi laudis erit.
13 Et Deus infantum celebrari gaudet ab ore,
14 huic ergo officium spero placere meum.

DE PARELIIS CONSPECTIS, ANNO 1551. DIE 21. MARTII.

E_2_28 v.1 Spargit ut in toto lucem Sol unicus orbe,
2 vivificoque unus cuncta calore fovet :
3 unicus aeterni sic natus mente parentis,
4 accendit radiis pectora nostra suis.
5 Hei cur plura tamen Solis simulacra videntur ?
6 Et vacuo mendax ludit imago polo ?
7 Doctrinae fingent aliqui ludibria forsitan,
8 adjicient alias dissidiisque faces.
9 Sed tu gnate Dei longe mendacia pelle,
10 concordes animos lux tua sola regat.

IN INTERPRETATIONEM ORATIONES 'AISCHINOU KATA KTÊSIPHÔNTOS'.

E_2_29 v.1 Vobis rursum hodie in Scholam feremus
2 justam rhetoris Attici querelam,
3 hostis qua jugulum sui, caputque
4 iratus petit, atque pestilentes
5 objurgat rabulas, furentem ad arma
6 qui civilia, mutuasque caedes
7 accendunt populum, sibique regna
8 pergunt impia fraude machinari,
9 et leges temerarii refigunt,
10 vallum scilicet, unicumque murum
11 pacis, qua meliusve, gratiusve
12 dii mortalibus haud dedere quicquam.

13 Haec audire juvabit universos,
14 qui virtutis amant decus coluntque.

AD CLARISSIMUM VIRUM D. DOCTOREM SELDIUM,
CARMEN CONSOLATORIUM DE OBITU FRATRIS SCRIPTUM WORMATIAE, ANNO 1557.

E_2_30 v.1 Et dulce et firmum est fraterni foedus amoris,
2 cordibus hanc 'sorglo' indidit ipse Deus.
3 Jure doles igitur tibi quod sit frater ademptus,
4 dimidium fuerat pectoris ille tui.
5 Et tibi consilii specimen fideique probatum
6 curarum dederat te modo parte levans.
7 Approbat hunc etiam pietas divina dolorem,
8 sed tamen in maestis jussit adesse modum.
9 Non hominum casu volvuntur tempora vitae,
10 arbiter est certo qui regit ista Deus.
11 Nec mentes hominum deleri morte putandum est
12 quas afflat membris caelitus ipse Deus.
13 Ergo Deo vitam repetenti cedere justum est,
14 spesque novae vitae nunc tua damna levet :
15 o quam laeta dies hoc quae me carcere solvet,
16 ut possim in clara luce videre Deum.
17 Esse tui ut socios luctus nos Selde videres,
18 haec non fucato pectore scribo tibi.
19 Ac opto ut vitae tibi dux solacia praestet,
20 aeterno natus de genitore "logos".
21 Voce sua coetus hominum qui colligit, ipsis
22 ut vitae reddat gaudia perpetuae.

DE FESTO ELISABETHAE AD IO. PISTORIUM PASTOREM NIDANUM,
DIE ELISABETHAE, WORMATIAE SCRIPTUM, ANNO 1557.

E_2_31 v.1 Grati munera summa Conditoris
2 narremus, sibi colligit quod agmen,
3 in quo fulgeat ipse, sempiternum,
4 plenum justitiaque gaudioque.
5 Hujus agminis est Elisabetha
6 consors, quae tenuit vetusta sceptra
7 orae Tyrigetum, fuitque mater
8 stirpis incluta principum tuorum,
9 qui Fuldae dominantur et Visurgi.
10 Semen servat enim Deus piorum,
11 hanc cum nunc celebres Elisabetham,
12 ad nos advenias, Nidane Pastor,
13 matronae ut pia facta proferamus,
14 ut tali pietate nos colamus
15 aeternumque Deum Deique gnatum,
16 ac motus animi leves domemus.
17 Multum exempla pios juvare possunt.
18 Quanto robore pertulit dolores,
19 exincto pariter viro atque gnato,
20 ac pulsa ex patria viri atque gnati,
21 ostendens mala perferenda sanctu
22 esse ingentia, ut invocare discant

23 mirandum auxilium Deum ferentem,
 24 praesentemque suis adesse cernant.
 25 Sic cur nostra onerata mole tanta
 26 sit natura, sciamus, atque justo
 27 sit subjecta Deo, simulque propter
 28 Gnati vulnera nos opem petamus,
 29 hoc exempla monent Elisabethae

DE NATALI DIE LUTHERI AD JACOBUM RUNGIUM THEOLOGUM WORMATIAE, ANNO 1557.

E_2_32 v.1 Natalis redit annuus Lutheri,
 2 hoc in mense vetus tenente nomen
 3 Orionis, eo quod hic in undas
 4 nunc mane insilit, hostis ut venena
 5 vitet cuspide scorpium minantis
 6 adversa regione caeli in ortu,
 7 et nimbos ciet horridosque ventos.
 8 Ut vero senior docens Orion
 9 de stellis populos simul monebat,
 10 quis nam lumina fecerit, viasque
 11 et motus regat arte sempiterna,
 12 saepe addens, Deus ille fecit idem
 13 humanum genus, e suaque luce
 14 infudit radios, suasque leges,
 15 quas servare jubet colique semper,
 16 poenisque opprimit impios furores.
 17 Sic et de sapiente conditore
 18 de Christoque "logo" Dei parentis
 19 monstraret meliora cum Lutherus,
 20 hostes huic quoque Scorpium fuerunt,
 21 sed texit Deus utilem ministrum.
 22 Idem nos faciat Deus ministros
 23 gratos, et simul ut tegat precemur.
 24 Natali celebrentur ista luce
 25 dona ingentia, gratiaequae agantur
 26 Aeternoque patri, patrisque gnato,
 27 et nobis eadem dari petamus.

DE VETERUM PRINCIPUM PIETATE ET MONASTERIORUM ORIGINE,
 AD D. PETRUM LOTICHIIUM, ABBATEM MONASTERII,
 CUI IMP. CAROLUS MAGNUS FUNDATOR NOMEN INDIDIT SOLITARIAE.

E_2_33 v.1 Cum Franci tenuere pulchra regna,
 2 orae Teutonicaeque Gallicaeque,
 3 clari Justitia Modestiaque,
 4 templa in saltibus, et scholas piorum,
 5 per quos Fulda fluit petens Visurgim,
 6 insignem pietate collocarunt,
 7 veri notitiam Dei serentes,
 8 et vitae documenta sanctioris.
 9 Huc reges quoque saepe commeabant
 10 doctorum sapientia fruentes,
 11 hymnos inter et hos choros sonantes
 12 cum tironibus aureis in armis.

13 Aetas aurea Principum bonorum
 14 haec exempla dabat sequenda plebi :
 15 hi cum bella movere erat necesse,
 16 ausi magnanimi ciere pugnas,
 17 donarunt patriae suae cruorem,
 18 inter proelia dexteras regente
 19 te, Christe, duce, quem simul vocabant
 20 ut soli tibi figerent tropaea.
 21 Rursus tempore pacis, ordinabant
 22 doctrinae studium forique jura.
 23 Hei quam dissimiles habet Monarchas
 24 effeti modo saeculi senecta ?
 25 Ignavos, stolidos et inquietos,
 26 Titanum similes, Deo minantes
 27 spreto fulmine, Siderum ruinas.
 28 Multos namque Dei necant ministros,
 29 quos stellas Daniel vocat Propheta.
 30 Nec mortem retinent sodalitates
 31 vestrae, quem sapiens probat vetustas :
 32 multae sed similes videntur esse
 33 Circaeis stabulis, canum suumque
 34 ac ut Grillus ibi priora membra
 35 non vult restitui sibi, videmus
 36 sic spurcos aliquos manere Grillos,
 37 spernentes sapientiam, Deumque.
 38 Solus Lotichius scholis et aris
 39 doctrinae studium, Deique honores
 40 reddit fictilibus Diis remotis,
 41 depulsisque sophisticis tenebris.
 42 Hunc tu Lotichium tuere, Christe,
 43 aeterno "loge" nate de parente.

Scriptum in Solitaria 11. Die Decemb. Anno 1557.
 AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM D. IOHANNEM ALBERTUM,
 DUCEM MEGALOPYRGENSEM ETC.

E_2_34A v.1 Omnia vasta facit saevis Bellona ruinis,
 2 praecipue studiis est inimica piis.
 3 Hospitium sapiens dedit olim Graecia Musis,
 4 nunc est barbarico Graecia praeda duci.
 5 Italiam petiere fuga, sed fraudibus illa
 6 Pontificumque armis perdita tota jacet.
 7 Hinc igitur dubiis fortunae casibus actae,
 8 intrarunt fines Teutonis ora tuos.
 9 Hic habuere aliquam sed parvo tempore sedem,
 10 nam fuit in nostra Mars quoque dirus humo,
 11 ergo per extremam Germani litoris oram,
 12 hospitium miserae supplice voce petunt.
 13 Ne penitus nostro discedant orbe, benigne
 14 inclute Dux Musas tu relevare velis.
 15 Hoc tibi pro merito condent praeconia laudis,
 16 virtutem testes quas jubet esse Deus.

TEUKRION.

JE LENGER JE LIEBER ICH BIN ALLEIN DENN TREU UND WARHEIT IST WORDEN KLEIN.

E_2_34B v.1 Feceris haud quicquam, nisi quod fecisse necesse est,
 2 quamque dedit, norma est una sequenda, Deus.
 3 Et fugito turbam, nisi cum Res publica poscit
 4 congressus modicos : futile turba malum est.
 5 Nec tibi curabis multos adjungere amicos.
 6 Rarae haec sunt, candor, gratia, justa fides.
 7 At si quos poteris, reque officiisque jvato,
 8 sic tamen, adjutos ne meminisse putes.
 9 Praecipue vero remis, velisque potentum
 10 fucosas fugito cautus amicitias.

M. PAULO EBERO.

E_2_35 v.1 Ausoniae historiam cur non mihi Paule remittis,
 2 quae nova Pontificum bella, dolosque refert ?
 3 Ni venies ad nos, et pagellam modo reddes.
 4 Non fidei hoc Francae, verum erit Haemoniae.

GERMANICI RHYTHMI MATRIS PHILIPPI.

Wer mehr will verzeren
 Denn sein Pflug kann ereeren
 Der wird zu letzt verderben
 Und vielleicht am Galgen sterben.
 Horum haec est sententia.

E_2_36 v.1 Si quis de parvis vult plura absumere rebus,
 2 quaerere quam vigili sedulitate potest :
 3 is mendicando victum petet ostia pulsans,
 4 aut feret huic tristem crux laqueusque necem.

EPITAPHIUM FRIDERICI, DUCIS SAXONIAE, PRINCIPIS ELECTORIS ETC.

E_2_37A v.1 Ante petet cursu Boemica rura supino,
 2 unde in Saxonicos defluit Albis agros :
 3 incluta quam possit meritorum fama tuorum
 4 occidere in populis, Dux Friderice, tuis.
 5 Aurea viderunt hae gentes saecula, regni
 6 dum tibi Saxonici sceptrum tenere datum est.
 7 Pace frui placida campique urbesque solebant,
 8 horrenda extimuit classica nulla nurus,
 9 bella alii ferro, sed tu ratione gerebas,
 10 et sine vi victi saepe dedere manus.
 11 Ingenio claros meruisti saepe triumphos,
 12 militeque haud ullo fixa tropaea tibi.
 13 Et pacis studiis florere, ac artibus urbes
 14 contigit auspicio, Dux Friderice, tuo.
 15 Fovisti spretas hac tempestate Camenas,
 16 unicus et studiis praemia digna dabas.
 17 Namque tuo sumptu flavum schola condita ad Albim est,
 18 ut vitae verum traderet illa modum.

19 Hic Evangelii primum doctrina renata,
 20 detero coepit pura nitere situ.
 21 Induit hic veros vultus, iterumque colorem
 22 accepit tandem religio ipsa suum.
 23 Et cum Germani sumpsissent arma Tyranni,
 24 contra Evangelium sanctaque jussa Dei.
 25 Doctores tibi cura pios defendere soli,
 26 et late Christi spargere dogma fuit.
 27 His tibi pro meritis grata praeconia voce
 28 posteritas omnis, virque puerque canent.
 29 Nulla tuas umquam virtutes nesciet aetas,
 30 non jus in laudes mors habet atra tuas.

ALIUD.

E_2_37B v.1 Haec quicumque vides oculo properante viator,
 2 ad sacra ne pigeat sistere busta pedem.
 3 Ille ego Fridericus, Duce quo Saxonia felix
 4 ardua sacratum tollit ad astra caput.
 5 Qui quamvis tota arderet Germania bellis,
 6 effeci pacem gentibus esse meis.
 7 Et senio tandem longis confectus ab annis,
 8 hic tegor exiguo conditus in tumulo.
 9 Virtutum laudes et famam longa mearum
 10 posteritas semper, sit modo grata, feret.

ALIUD.

E_2_37C v.1 Principis hic tumulus Friderici continet ossa,
 2 quem patriae patrem fecerat esse Deus.
 3 Illius et manes fac, optime Christe, quiescant,
 4 molliter inque sinu posse latere tuo.
 5 Nam dum vita fuit, tua sacra colebat, eratque
 6 nosse Evangelium maxima cura viro.

EPITAPHIUM SCRIPTUM ILLUSTRISIMO PRINCIPI D. IOHANNI I. IMPERAT.
 ELECTORI, DUCI SAXONIAE, LANDGRAVIO THURINGIAE, MARGGRAVIO MISNIAE ETC.

E_2_38 v.1 Tu quoque Saxoniae Johannes inclute Princeps,
 2 non virtute minor cognite fratre tuo :
 3 eximia Christum pietate fideque colebas,
 4 vita piaie mentis testis eratque tua.
 5 Vindelicis coram tua Caesare nuper in oris
 6 asseruit Christi lingua professa fidem.
 7 Notior ut fieret divini gloria verbi,
 8 temporibus fulsit quae rediviva tuis,
 9 utque Evangelii studium deponere velles,
 10 flectere non ullae te potuere minae.
 11 Ista tui incendit constantia pectoris hostes,
 12 attulit et passim multa pericla tibi.
 13 Sed te difficili protexit tempore Christus,
 14 et gratam pacem pro pietate dedit.
 15 Ac tua saepe tamen moderatio profuit ingens,
 16 impia ne quisquam sumeret arma manu.
 17 Hac longe superas aliorum laude triumphos.

18 Haec virtus magno principe digna fuit.
 19 Ergo tuum a nullo nomen delebitur aevo,
 20 nec meriti laus est interitura tui.
 21 Hic tua, dum Christus meliori corpora sorte
 22 restituet justis, molliter ossa cubent.
 23 Spiritus ac vivat, gratoque fruatur honore
 24 interea Christi conditus in gremio.

EPITAPHIUM BENEDICTI PAULI JURISCONS.

E_2_39 v.1 Frigida in hoc tumulo Benedicti membra teguntur,
 2 cognomen Pauli qui patrium tenuit.
 3 Doctor erat juris, virtute ornatus et arte,
 4 eloquio clarus, consilio atque fide.
 5 Saxoniae ducibus sententia saepe probata est
 6 ipsius, et patriae profuit ille suae.
 7 Justificaque fide quoniam te, Christe, colebat,
 8 conspectu fruitur mens modo laeta Dei.

ALIUD SCRIPTUM CLARISSIMO VIRO D. HIERONYMO SCHURFF DOCTORI JURIS.

E_2_40 v.1 Doctor erat juris praestans Hieronymus arte,
 2 justitia, ingenii viribus, atque fide.
 3 Schurfiadum de stirpe satus, quae clara per Alpes
 4 Helveticas, numerat saecula multa patrum.
 5 Jura enarravit lustris bis quinque nec ullus
 6 ostendit fontes dexteritate pari.
 7 Consiliis rexit fidis populosque ducesque,
 8 lumen enim juris temporis hujus erat.
 9 Hunc etiam sapiens Caesar dignatus honore est
 10 Carolus, Imperii qui modo sceptrum tenet.
 11 Quaeque leget veniens aetas, monumenta reliquit,
 12 multorum studiis proderit iste labor.
 13 Justitiae esse Deum fontem quia noverat ipsum,
 14 ut recte nosset maxima cura fuit.
 15 Justificaque fide capiens tua munera, Christe,
 16 solius est cujus parta cruore salus.
 17 Vera luce Deum agnovit, precibusque vocavit,
 18 et rectae fidei congrua vita fuit.
 19 Ipsius hoc tumulo requiescunt molliter ossa,
 20 vivit, conspectu mens fruiturque Dei.

EPITAPHIUM SCRIPTUM CONJUGI INTEGERRIMI VIRI FRIDERICI BERNPECKII

E_2_41 v.1 Hoc tumulo castae matronae condidit Annae
 2 Fridericus Bernpeck conjugis ossa suae.
 3 Cui novisse Deum, et caelestia discere dicta,
 4 et parere ipsis maxima cura fuit.
 5 Justificaque fide coluit te, Christe Redemptor,
 6 exemplum mores et pietatis erant.
 7 Mens igitur patriae fruitur caelestis honore,
 8 hoc tantum tegitur corpus inane solo.

IN IMAGINEM REVERENDI VIRI DOCTORIS IOHANNIS BUGENHAGII POMERANI.

E_2_42 v.1 Conjugis ut senio confecti corpus aquatum
 2 ipsa suis humeris Alcyo grata gerit :
 3 sic bene promeritum Doctorem Ecclesia curet,
 4 et levet aetatis pondera dura seni.
 5 Sic tua canities, Doctor Pomerane, fidesque
 6 sincera est cunctis jam veneranda piis.
 7 Qui procul externis sparsisti fidus in oris
 8 pura Evangelii semina voce tua.
 9 Ac ceu Baptistes agnum monstrare solebat,
 10 Aeterno Christum de genitore satum.
 11 Tu quoque justifica docuisti agnoscere Christum,
 12 Aeternique Patris sumere dona fide.
 13 Fictiliumque alias formas tua lingua Deorum
 14 evertit, Papae quas voluere coli.
 15 Et velut in scopulis celsos locat Alcyo nidos,
 16 hyberni circum quos fremit unda maris :
 17 sic medio in pelago felix jam Dania nidos
 18 extruxit Christo, te fabricante, pios.
 19 Te Deus hos inter texit juvitque labores,
 20 nunc vita functus vivis in arce poli.

IN IMAGINEM ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI GEORGII,
 PRINCIPIS IN ANHALT ET ASCANIA ETC.

E_2_43 v.1 Ascaniae stirpis virtus est clara triumphis,
 2 ordine quos numerant saecula longa patrum.
 3 Caesar in Adriaco cum gessit litore bellum,
 4 et fregit Venetas Maximilianus opes,
 5 dux erat Ascania natus de stirpe Rodolphus.
 6 Fixit et in Veneto multa tropaea solo.
 7 Nunc ad majorum decora haec laus magna Georgi,
 8 accedit vere principe digna viro.
 9 Quod sic doctrinam reliquis virtutibus addis,
 10 ut verum celebres pectore et ore Deum,
 11 et Christi illustres ingentia munera scriptis,
 12 justifica supplex quae capis ipse fide.
 13 Exemploque Esdrae populum dum jure gubernas,
 14 doctrinae spargis semina pura simul.
 15 Summe Deus, solus qui das felicia regna,
 16 Ascanios fratres, te precor, ipse regas.

IN IMAGINEM ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS MAURICII DUCIS SAXONIAE ELECTORIS,
 LANDGRAVII THURINGIAE ETC.

E_2_44 v.1 Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
 2 et subito casu quae valuere ruunt.
 3 Ut perit in primo Pelides flore juventae,
 4 Pyrrhus et hoc ipso de genitore satus,
 5 ac Asiae domitor Macedum de stirpe creatus,
 6 et qui Burgundas Carolus auxit opes :
 7 sic jam Mauricium nimium properantia fata

8 Saxoniae terris eripuerunt Ducem.
 9 Qui Gallos Turcosque feros virtute repressit,
 10 militiae praestans artibus atque togae.
 11 Hic modo cum patriam justis defenderet armis,
 12 fudissetque hostes auxiliante Deo.
 13 Fraude globus missus victorem vulnerat, inde
 14 post pugnam vitae non mora longa fuit.
 15 Commendans animam sed Christo, exordia vitae
 16 hausit caelestis non dubitante fide.
 17 Est fragilis natura hominum, sed reddere vitae
 18 gaudia vult Christus non moritura piis.

IN IMAGINEM REVERENDI VIRI IOHANNIS AEPINIDOCUTORIS THEOLOGIAE.

E_2_45 v.1 Haec est Aepini doctoris imago Iohannis,
 2 qui docuit caste dogmata pura Dei.
 3 Saxonicoque pios coetus in litore rexit,
 4 fulsit et exemplis integra vita bonis.
 5 Urbis ubi Hamburgae stant ardua moenia clarae,
 6 Massiliae veteris quae decus omne tenet.
 7 Et superat meliore bono, quod praebet honestum
 8 et fidum hospitium, maxime Christe, tibi.
 9 Inde etiam Aepinus vigilans et pectore firmo,
 10 errorum fucos depulit atque dolos.
 11 Ergo Deo grates tanto pro munere dico,
 12 utque regat semper pectora nostra peto.
 13 Et faciat, semper nos unum ut simus in ipso,
 14 aeterni gnatus quod petit ipse Patris.

EPIGRAMMA IN HOMERUM AD LITTERARIAM JUVENTUTEM.

E_2_46A v.1 Nocturna versate manu, versate diurna,
 2 Maeonii, juvenes, utile vatis opus.
 3 Humanae speculum vitae quod dicitur, in quo
 4 affectus populi cernitis atque Ducum.
 5 Quodque simul monstrat quae sint discrimina morum,
 6 quae lex distinxit non violanda Dei,
 7 quae deceant homines, habeant quae facta secundos
 8 eventus, juste cuncta regente Deo.
 9 Et quae sint summa cura, studioque cavenda,
 10 quae sequitur laesi vindicis ira Dei.
 11 Ne dubita, semper delicta atrocia poenas,
 12 et subitas clades post mala facta sequi.
 13 Hanc quicumque legit doctrinam transferat arte
 14 ad sese, ut mores hinc regat ipse suos.
 15 Civilis vitae normam viditque docetque,
 16 quamquam oculis senior captus Homerus erat.
 17 Ah utinam hae Musae canerent non numina falsa,
 18 unum sed patrem, maxime Christe, tuum.

ALIUD DE LECTIONE HOMERI.

E_2_46B v.1 Vera est fama bonos agitari numine vates,

2 nam Deus illorum pectora casta movet.
 3 Virtutis praecepta canunt, ac vatibus auctor
 4 tradidit in terris illa docenda Deus.
 5 Largaque cum caelo veniat facundia, rursus
 6 eloquii vires altera dona dedit.
 7 Est igitur pietas quaedam cognoscere Homerum,
 8 cum bona de superum munera sede ferat.

ALIUD DE ADOLESCENTIAE INSTITUTIONE ET STUDIO.

E_2_46C v.1 In ludum quidam gnatum ducitque jubetque
 2 ut vitae melius discere tentet iter.
 3 Et primis pater ingenium puerile sub annis,
 4 et rude dum pectus recta docere parat.
 5 Qua puero fore ducat opus re, forte magistrum
 6 quaerit, at ille, opus est mente, ait, atque stilo.

HOC CARMEN RECITATUM EST, CUM CREARENTUR DOCTORES MEDICINAE,
 A PUERO UT MOS EST IN SOLLEMNI RENUNTIATIONE.

E_2_47 v.1 Nos quoque Paeonias pueri laudabimus artes,
 2 quae tristem a nobis possunt arcere senectam :
 3 nostris ipse choris inventor gaudet Apollo,
 4 victori pueri gratum Paeana canebant,
 5 dum Delo veniens stravit Pythona sagittis.
 6 Ardet opes alius Croesi, miratur arenas
 7 quas Pactole vehis, studioque senescit habendi,
 8 et misero census augendi pallet amore ;
 9 regum sceptrum alii laudant, fascesque superbos,
 10 infidaeque juvant miseros suffragia plebis,
 11 et levis ambitio, perfusaque gloria fuco ;
 12 sunt etiam ventris qui tantum gaudia norunt,
 13 denique mortales non uno errore tenentur.
 14 Felix ille mihi bona qui meliora secutus
 15 obscuras rerum causas, viresque latentes,
 16 caelestes ignes, et conscia sidera fati,
 17 quaeque parit tellus rerum miracula cernit,
 18 aeternumque decus virtutis novit, opesque
 19 extra fortunae positas temeraria jura,
 20 quique rudes hominum mentes et pectora mulcet
 21 ingenio, vitaeque modum praescribit, et artes,
 22 et morbos ratione fugans, infirma tuetur
 23 corpora, dum vitae fugienti prorogat annos,
 24 ille mihi solus dicetur jure beatus.
 25 Huc agite hanc palmam juvenes certare parare,
 26 asserite has utraque manu non segniter artes,
 27 "Iatros gar aner pollon antaxios allon"

IN OFFICIA CICERONIS.

E_2_48 v.1 Otia dum faciunt divum sollemnia nobis,
 2 Dum pueros nucibus ludere forte juvat.
 3 Aut cum mobilibus talis sibi quisque parare

4 inter convivas aurea regna studet.
 5 Quaeso aliquam nobis otii concedite partem,
 6 et vacui fractum temporis ipse feram.
 7 Exiguum vobis Tulli propono libellum,
 8 delicias voluit quem pueri esse pater.
 9 Praemia virtutis demonstrat nescia mortis,
 10 et vocat ad verum Tullius ipse decus.
 11 Eloquioque rudem linguam bonus imbuit auctor,
 12 Quo patriam, cives quo tueare tuos.
 13 Ergo paulisper Genium fraudate, brevemque
 14 si sapitis Tulli discite quaeso librum.

DE DUABUS THECIS SIMONIDIS.

E_2_49 v.1 Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne est,
 2 debita pro meritis gratia nulla redit.
 3 Simonides binas ponebat in aedibus arcas,
 4 Ledaeis carus fratribus ille senex.
 5 Hanc, unde officium facilis promebat egenti,
 6 et tempestiva forte juvabat ope.
 7 Quam, postquam multa effudit, nova copia rerum
 8 accumulata diu non vacuum esse sinit.
 9 Altera facta fuit si gratia forte rediret,
 10 munera quae grati conderet arca viri.
 11 Sed nihil huc quisquam intulit, arcaque semper inanis,
 12 officia, indicio, cuncta perire fuit.
 13 Simonides thecam monstrabat utramque, laborem
 14 aerave si peteret mutua ferre aliquis.
 15 Et testatus opes se plena effundere Theca,
 16 pro meritis monuit praemia nulla dari.

IN HORTUM IONAE.

E_2_50 v.1 Huic horto cedit Lipsensis jure Picena,
 2 carmine quam Ruscus nobilitare studet.
 3 Hic gravidam pomis ficum, lentasque cupressos,
 4 purpureas violas, aurea mala parit.
 5 Cetera quid referam, largas natura benigne
 6 ruris opes horto divitiasque dedit.
 7 Et vates colit hunc herus, invitatque frequenter
 8 e medio doctas huc Helicone Deas.
 9 Hic vidi Musas pro carmine texere sarta
 10 praemia victori digna, Joachime, tibi.
 11 Hic vidi laetas plausu vultuque canenti
 12 Mycillo Aonias saepe favere Deas.
 13 Socraticisque jocis hic Micale seria condis,
 14 exacuuntque sales pectora nostra tui.
 15 Sic fama est lusisse senem, cum forte sub umbram
 16 defessum platani Phaedre secutus eras.
 17 Hic tua convivas facundia Caspare pascit,
 18 diis ipsis etiam nectare grata magis.
 19 Cum celebrent hortum vernantem talia Jonae,
 20 Lipsica quid laudas praedia Ruscemihi ?

AD PINUM.

E_2_51 v.1 Cum nova coepisti contexere carmina, Pine,
 2 quis mihi, Phoebus ait, Marsia rure strepit !
 3 Anne iterum stultus vocat in certamina divos ?
 4 Quisquis es, exuta poena luenda cute est.

AD JANUM.

E_2_52 v.1 In cena conviviva mihi doctissime Jane,
 2 de Symphoniacis unus et alter erit.
 3 Quique "chelu" digitis argutis ludat, adesse
 4 ad nostras epulas Jane rogandus erit,
 5 Non hunc crede mihi qui Martis furta canebat.
 6 Inter Phaeacas vicerit ille senex.
 7 Carmina si tristes animi depellere curas,
 8 viribus et fessis otia parva paras :
 9 huc ades ultro bonis conviviva adire bonorum
 10 mos est, at rogitant te modo Jane boni.

AD IONAM.

E_2_53A v.1 Perge mihi Latio sermone exponere Jona,
 2 Cecropidum in medio crimina dicta foro,
 3 et quibus insontem Demosthena proscidit hostis,
 4 Ausonia nobis jurgia voce refer.
 5 Non ignava decent generosas otia mentes,
 6 virtutemque acer durat, alitque labor.
 7 Ergo operas studiis socias adjungito nostris,
 8 atque aliquam partem viribus adde meis.

AD EUNDEM.

E_2_53B v.1 Affertur digitis nostris tibi epistola scripta,
 2 quam juveni misit Thais amica suo.
 3 Ista lege tamen capies, suavissime Jona,
 4 ut Latia facias Thaida voce loqui.
 5 Forte nefas ducis cum scorto ludere Jona,
 6 casta quia in templis sacra docere soles.
 7 Crede mihi, illa gregem cum pinxit docta Lycaeii,
 8 de parvis atomis qui impia bella movet :
 9 perstrinxit fucata etiam pietate magistros,
 10 turpe quibus faciunt vendita sacra lucrum.

AD WALLORHODUM.

E_2_54 v.1 Si mecum, Walorhode, rusticari
 2 et secedere in oppidum propinquum,
 3 languentemque animum excitare ludo
 4 paulum ponere seriasque curas,
 5 et concedere ferias Cepollae,

6 et tristem libet explicare frontem,
 7 huc nostras propere venito ad aedes,
 8 exspectant comites amica turba,
 9 votisque omnibus advolare te orant.
 10 Accurras igitur, simulque tecum
 11 tantum quaeso feras facetiarum,
 12 quantum Bartolus, atque Baldus, illi
 13 insulsi illepidi tui magistri
 14 nugarum omnibus edidere libris.
 15 Tantum Mercurius ciere risus
 16 non possit Charitesque blandiores,
 17 quantum tu poteris movere risus.

PROPEMPTIKON IN DISCESSUM IOHANNIS REIFFENSTEIN.

E_2_55 v.1 Sic det Christus iter tibi secundum,
 2 et faustum in patriam, tibi que donec
 3 fratres incolumi videre salvos,
 4 fratres, qui tibi, Jane, cariores
 5 ipsis sunt oculis tuis, vicissim
 6 qui te plus adamant suis ocellis:
 7 ut gratum est, mihi Jane quod dedisti
 8 discedens Xenion, novum libellum
 9 testis stabit amoris ille nostri,
 10 inter praecipuos meos libellos,
 11 auratisque superbus umbilicis
 12 ostendet titulos tuos, mihique
 13 absentem (aeque) refert subinde amicum,
 14 et Jani meminisse me jubebit.
 15 Ut si marmora, sive penicillo
 16 depictae tabulae tua ora servent
 17 Jani Mnemosynon mei perenne,
 18 adservabitur hic mihi libellus.

AD SPALATINUM.

E_2_56 v.1 Nostris Cordus in aedibus poeta
 2 prandebit modo, gratius sed illi
 3 hoc existimo prandium futurum
 4 si tu pervetus utriusque amicus,
 5 cordi scilicet et tui Philippi,
 6 conviva adfueris, vocant sodales
 7 te, quamvis humilesque pauperesque
 8 at quorum tibi candor est probatus
 9 non nuper Spalatine cognitusque.
 10 Codrus forsitan esse corde posses,
 11 Irus forsitan et Philippus esse
 12 posset, sed faciles utrumque Musae
 13 secernunt, stolido eximuntque vulgo.

AD IONAM.

E_2_57 v.1 Cenam negligere est piaculare,

2 sed qualem dare Apicius solebat.
 3 Verum nos tenuem modo paramus,
 4 qualem vel Samius senex probasset,
 5 Graecos ille docebat esurire.
 6 O non Theologis bonum magistrum
 7 haud ad tale ego prandium vocavi
 8 Francae lumina gentis huc vocamus
 9 ad notos, veteresque te sodales,
 10 atque hac lege venire te jubemus,
 11 si non haec tibi parca mensa sordet.

IN HESIODUM.

E_2_58 v.1 Ascraei senis optimi poetae
 2 vobis cras ego carmen auspicabor,
 3 cui non praeferat aureas arenas
 4 quas volvit Tagus, aut opus Sabaeis
 5 quantus nigri Arabes legunt in agris,
 6 qui virtutis amat, colitque laudem,
 7 et mores volet aureos parare,
 8 naturaeque vices videre miras,
 9 parvo quas docet in libro poeta
 10 Graecis quem aedidit Ascra rure parvo.

IN LUSCINIUM PROSCINDENTEM MORTUUM HUTTENUM.

E_2_59A v.1 Cum laceres miseros crudeli carmine manes,
 2 nomen erit vultur non Philomela tibi.

ALIUD.

E_2_59B v.1 Sis miser et nulli miserabilis, omnia quisquis
 2 a diis pro merito cuique venire putas.

AD GUILIELMUM NESENUM.

E_2_60 v.1 Hunc etiam calamum tibi, docte Nesene, Philippus,
 2 sinceram mittit pignus amicitiae.
 3 Non tantum hic sese confert cum munere Erasmi,
 4 sed calamo longe cedit Erasmiaco.
 5 Frigida caenoso tulit hunc Saxonia stagno,
 6 in Nili ripis aeditus ille fuit,
 7 Lethaeum excussit mundo tandem ille veternum,
 8 pingebat Domini cum monumenta sui.
 9 Aurea Mercurii non tantum virga meretur,
 10 illa sibi quantum laudis harundo feret.
 11 Hos tantum versus mea pinxit harundo, placere
 12 quantum ipsos versus, hanc etiam opto tibi.

AD IONAM.

E_2_61 v.1 Scribere me tantum Cato blanda epigrammata jussit
 2 Cecropio quae sint dulcia melle magis.
 3 Qualibus aut teneram juvenis permulcet amicam,
 4 aut puero ad cunas qualia cantat anus.
 5 Qualia vel fatuo vendit Gnatho dicta Thrasoni,
 6 in scaena risum cum ciet atque jocos.
 7 Et vetuit sale seu mordaci tingere aceto,
 8 lecturi irritent quae illiciantque gulam.
 9 Optime Jona, cupis causam cognoscere, nulla est
 10 illius in toto corpore mica salis.

AD REGEM PUERUM.

E_2_62A v.1 Cetera turba suo pro carmine munera poscit,
 2 et gratis versus condere nemo solet.
 3 Non ego pro studio mercedem ferre laboro,
 4 virtutem pretium nam decet esse sui.

ALIUD.

E_2_62B v.1 Cum te versibus ornat iste coetus,
 2 atque auro meliora dona mittit,
 3 et quae non ebur, optimaeque gemma
 4 Indorum superent, tibi sodales
 5 optant officium suum probari,
 6 et te Pierias amare Musas,
 7 quae virtutis iter solent docere,
 8 Princeps optime, commonent frequentes.

ALIUD.

E_2_62C v.1 Tum mihi regis eris sceptris et nomine dignus,
 2 et Phoebos sacrum qui moderere gregem :
 3 cum vinces coetum puerorum, aliosque sodales,
 4 pectoris aeternis ingenique bonis.
 5 Irrita tum fient et spes et vota bonorum,
 6 cum potior Mysis rex tibi luxus erit.

ALIUD.

E_2_62D v.1 Multos jubebant Persae regibus oculos
 2 adesse monentiumque turbam maximam.
 3 Pro te ergo rex fideles omnium excubant
 4 oculi, officii qui te admonent versu tui :
 5 horum monitis curabis ut respondeas.

ALIUD.

E_2_62E v.1 Si quisquam neget esse me poetam,
 2 paucos quod faciam, brevesque versus.

3 Is jam non populi leves amare
 4 me plausus sciat, at mihi bonisque
 5 Musis me canere, et studere tantum
 6 nostri principis auribus placere.

PRAEMEDITATE LOQUENDUM.

E_2_63 v.1 Hermogenes voluit laudari, dicere multa
 2 quod subito posset non meditata prius.
 3 Atticus orator sed contra turpe putabat,
 4 dicere apud cives non meditata diu.
 5 "Sculpta, inquit, potius recitarem, non modo scripta,
 6 causa moram ferret si peragenda reo."
 7 Ah ! utinam sapiens placeat cunctatio multis,
 8 fundant ad gnatum votaue casta Dei.

IN BATRAXOMYOMAXIAN HOMERI.

E_2_64 v.1 Mus brevis, et saliens in gurgite rana palustri,
 2 dum nulla causa proelia stulta cient :
 3 fulmineo pugnas Jovis ira fragore diremit,
 4 et tandem fugiens agmen virumque perit.
 5 Sic modo dira serunt ex bellis bella Tyranni,
 6 nec res, sed caecus armat utrimque furor.
 7 Pestiferique magis Thebana Sphinge Sophistae,
 8 verba venenato frivola velle linunt.
 9 Aspicit haec vindex oculis Deus omnia justis,
 10 ne grave cum sparget fulmen, inermis erit.
 11 Gnate Dei bonitate tua mala tanta levato,
 12 et serves coetus, Christe, regasque pios.

DISTICHON.

E_2_65 v.1 Justa Dei sontes affligit vindicis ira,
 2 ne dubita, veniet tempore poena brevi.

PHILIPPUS MELANTHON IULIO PFLUGK.

E_2_66 v.1 Forte equites Mysi quemdam celebrant hymenaeum
 2 atque agitant convivia laeti, et pocula certant,
 3 more peregrino Thracum siccare vicissim.
 4 Me miserum, ipsa sua germana modestia sede
 5 exulat, et luxus virtutem ejecit avitam.
 6 Hic ubi convivas inter doctissime Iuli,
 7 agnovi Juvenem, vestro cognomine, clarum,
 8 incluta fama tuae virtutis cogit, ut illum
 9 compellem, contra me ignotum tractat, habetque
 10 comiter, et mecum sermones miscuit, estque
 11 de studiis Julii longissima mentio facta.
 12 O te felicem talem cum fata dederunt
 13 mentem, quae vulgi damnosis libera curis,
 14 vera sequi certet bona non obnoxia morti.

15 Cetera turba homines non uno errore tenentur,
 16 nam plerique gulae sectantur commoda, et ipsam
 17 vincere contendunt Sybarim, pars pallet amore
 18 accumulandi auri, studioque senescit habendi.
 19 Ambitioque capit multos, fascesque superbi,
 20 et leve fallacis vulgi studiumque favorque,
 21 haec quoque me, nisi Juli probas, insania coepit
 22 Flacci more boni, tenues deducere versus :
 23 sic etiam cygnos imitabere corve canoros.
 24 Tu vitae melius coepisti iter ingredi Iuli,
 25 Palladiis natas artes dum solus Athenis,
 26 atque auctus veteri Latio in patrium invehis orbem,
 27 virtutisque viam, legesque ostendere pergis.
 28 Macte animo juvenis, coeptosque urgere labores
 29 ne desiste, dabit curarum praemia digna
 30 posteritas melior, justosque rependet honores,
 31 nos, patiare, pio te carmine dicimus, atque
 32 esse tui gregis optamus pars optime Juli.

AD AMICUM.

E_2_67 v.1 Nulla venus, nulli sunt nostro in carmine amores,
 2 quam vereor, ne sit vere ibi nulla Venus.

IOHANNI AMICO.

E_2_68 v.1 Optime quem praesens malebam Jane salutem,
 2 non falsa vobis dicere voce modo,
 3 hinc elegis ego ferre dedi, jussique precari
 4 ut servet Christus teque, tuamque domum.
 5 Auspiciisque scholae faveat, vestrosque labores
 6 provehat, atque suo numine coepta juvet.
 7 Inserat et pueris pulchrae virtutis amorem,
 8 quos commendavit patria cara tibi.
 9 Si quid agam rogitas, vivo, sed lenta gravedo,
 10 non patitur vires corpus habere suas.
 11 Ipse tamen quaero longo solacia morbo,
 12 assiduumque levo, qua licet arte, malum.
 13 Dumque suos alius census aurumque repostum
 14 sollicitus tacitus computat articulis :
 15 dumque agitant alii multo convivia Baccho,
 16 et tali cogunt ad numerum bibere :
 17 fallo domi parvos inter mala taedia amicos,
 18 et pueros inter, carmine, Jane, meos.
 19 Et quoties fidos celebrat mea Musa sodales,
 20 in nostro partem carmine janus habet.
 21 Plura ego non potui jam scribere, vive, valeque,
 22 teque precor vatem, Christe, tuere tuum.

AD IONAM.

E_2_69 v.1 Carmina es ausus heri nobis promittere Jona,
 2 qualia, si rumpat se Gera, nulla facit.

3 Sed quae vel lepidum deceat lusisse Tibullum,
 4 quaeve sibi Staius vindicet ille tuus.
 5 Falle licet cenam quoties condixeris, isti
 6 deliciae stomacho conveniunt Sicalae.
 7 Et mea mensa salem tantum, siccumque cuminum
 8 proponit, noster quodque olus hortus habet.
 9 Carmina non liceat promissa negare sodali,
 10 namque decet vates candida, crede, fides.

IOHANNI REIFFENSTEIN.

E_2_70 v.1 Promissa est a te nobis oratio Jane,
 2 quae mercatores vindicet ausa reos.
 3 Regia crede mihi res est defendere, si cui
 4 non ipsum crimen, sed nocet invidia.
 5 Et tegere, et servare bonos facundia debet,
 6 praesidium virtus scilicet istud habet.
 7 Quare age tandem ausis, et sanctam suscipe causam
 8 irrita ne fallant nos tua dicta modo.
 9 Conscissamne vides tragico crudeliter ore ?
 10 Qualia de plaustis Attica turba sonat.
 11 Tu (bene dicendo convicia vincere laus est)
 12 triste nihil meritam voce tuere pia.
 13 Hanc tibi Maeonides divino carmine laudat,
 14 cum ferrum, Temesen, ipsa Minerva vehit.
 15 Ascraei que senis celebrant oracula, cantat
 16 Socratis in gremio qui recubabat olor.
 17 Aude igitur spretamque piis ulciscitor armis,
 18 materia ingenio convenit ista tuo.
 19 "Alkimos ess', ina tis te kai opsigonon eu Eip.."
 20 Haec tibi Maeonides classica, Jane, canit.

AD IONAM.

E_2_71 v.1 Si vacat exiguum percurras Jona libellum,
 2 non longi usuram temporis ille feret.
 3 Non mea mercato vitiata oratio fuco est,
 4 spectari que suo nuda colore cupit.
 5 Pars est haec laudis quaedam, me iudice, namque
 6 si qua nihil facies Jona olet, haec bene olet.
 7 Sed si nostra tibi sordent, formamque requiris,
 8 quae nitet externo, luxuriatque habitu,
 9 et legere ista piget, librum mihi quaeso remitte,
 10 quaerendus lector, cui placeamus erit.

EPITAPHIUM CLEOPES VOGLERAE.

E_2_72 v.1 Frigida in hoc tumulo Mariae sunt ossa sepulta,
 2 quae juncta Cleope nomine dicta fuit.
 3 Digna quidem hoc titulo, quae mores ipsa professa est,
 4 exemplo Cleopes congrua vita fuit.
 5 Supplicium quando pro nobis Christus obivit,
 6 sanguine ut ablueret crimina nostra suo,

7 tunc Cleope maestam comitari est ausa sororem,
 8 vicit enim pietas vera fidesque metum.
 9 Et missum hunc caelo testata est esse magistrum,
 10 seque ejus toto pectore dogma sequi.
 11 Sic Cleope nuper tumulo quae conditur isto,
 12 est Evangelium mente professa sua,
 13 nec metuit rabiem, et petulantia probra malorum,
 14 qui spernunt leges, optime Christe, tuas,
 15 addidit et castos semper sine crimine mores,
 16 esset ut exemplum vita pudica bonis.
 17 Utque olim Cleope solita est servire sorori,
 18 officiis inopes fovit et ipsa piis.
 19 Ergo virtutis cultor Voglere Georgi,
 20 te tali orbatum conjuge jure doles.
 21 Quae forma, ingenio, morum gravitate placebat,
 22 flagrabat cujus pectus amore tui.
 23 Quaeque Deum tecum concordi mente vocabat,
 24 haec vincla aeterni foederis esse solent.
 25 Certa sed hunc animo minuunt solacia luctum,
 26 quae monstrat nobis Filius ipse Dei.
 27 Jam patris aeterni faciem secunda tuetur,
 28 praemiaque accepit pro pietate sua.
 29 Matronasque inter Cleopae sociata priori
 30 colloquio Christi jam solet illa frui.
 31 Hic quam nunc oculis absentem animoque requiris,
 32 uxor in amplexus est reditura tuos,
 33 sermonesque iterum dulces miscebitis una,
 34 caelestisque eritis pars quotacumque scholae.
 35 Hic arcana Deus quae nunc mens anxia quaerit,
 36 in clara vobis luce videnda dabit :
 37 interea donec renovabit corpora Christus,
 38 tecta levi terra molliter ossa cubent.

PRAECEPTUM 'ugieinou'.

E_2_73 v.1 Caseolos mihi pulchra Venus donabat edendos,
 2 sedula quos digitis presserat ipsa suis.
 3 Et bene fragrantibus quibus intersperserat herbas,
 4 intiba, samsuchum, cirsion atque rosas,
 5 et quos Ambrosia dulci, vinoque rigarat,
 6 ne desit succi copia larga boni.
 7 Hei mihi cur tantae non uti munere divae,
 8 difficilis medici me nova cura sinit ?
 9 Has mihi qui toties ferales dicit epodas,
 10 caseolos Veneris dira venena putes.

PROLOGUS IN MILITEM PLAUTI.

E_2_74 v.1 Deserta scaena et muta aliquamdiu stetit,
 2 salesque refrixerant, et comici joci,
 3 cum barbari obruissent tenebris litteras,
 4 sed postquam caput erigunt comoediae,
 5 favete quaeso in lucem ut una prodeat,
 6 praestare id aequum est, vos quibus ipsae littera

7 ingens decus peperere, nec committere,
 8 audax ut inceptum, ac novum fraudi siet
 9 nobis, amor quos litterarum perpulit,
 10 renovare priscum morem, et hoc spectaculo
 11 ludos facere, haec ut studia, et aetas postulant.
 12 Illamque vos decet favore prosequi.
 13 Audite nunc in qua velimus fabula
 14 facere actionis hoc loco periculum.
 15 Germana Plauti est quam modo exhibebimus,
 16 cujus ferebant ore facundissimo
 17 Musas fuisse libenter usuras probe
 18 si quando decressent latine dicere.
 19 Nomenque fecit gloriosum militem
 20 poeta fabulae, argumentum ex servulo
 21 intelligetis, ille sumpsit hoc sibi,
 22 ut narret ipse, nam crepitaculum est merum,
 23 quod non molesti bis sumus, mihi gratiam
 24 debetis, ultro qui loquaci servulo
 25 cessi. Sed ecce militem delegimus,
 26 ut in hoc juvenus nostra inspiciat sedulo
 27 exemplum, et intueatur hic imaginem
 28 perinde ac in tabella adumbratam suam.
 29 Nec lac enim lacti, nec ovo est ovum magis
 30 simile, huic inepto militi quam sunt modo
 31 qui cum meliores litteras fastidiunt,
 32 rerum omnium tamen scientiam sibi
 33 audacter arrogant, et inter pocula
 34 in compitisque venditant suum "sophos",
 35 vulgus profanum et improbum, atque futile
 36 Thrasones, atque Pyrgopolinices meri
 37 dignissimi quis latera fiant lorea.
 38 Sed eccum militem, favete actoribus,
 39 et date juventuti crescendi copiam.

PROLOGUS IN ANDRIAM TERENTII.

E_2_75 v.1 Vestrae periculum fecimus patientiae
 2 cum nuper in scaena exhibuimus militem,
 3 animosque nobis addidit vester favor,
 4 ut non patiamur scaenam consilesce,
 5 sed ne mirere. Quid pompae Theologicae
 6 cum comicis jocis ? Mera sunt fabulae,
 7 in pulpitis ut agebant hodie Theologi,
 8 et chirothecae et annuli sunt fabulae,
 9 nomen Magistri nostri plane fabulae,
 10 postremo qui conduxit operam hujus gregis
 11 theologus est, suoque jussit fabulam
 12 prolixior ut risus foret praescripto agi,
 13 ut, ut placebimus, imputari vult sibi.
 14 Affertur huc Terentiana fabula,
 15 cui nomen auctor ipse fecit "Andriam",
 16 favete, bellus in medium prodit senex.

EPIGRAMMA PHILIPPI.

E_2_76 v.1 Comica debetur merito tibi palma Terenti,
2 tanta etiam parvis gratia rebus inest.

PROLOGUS IN HECUBAM EURIPIDIS.

E_2_77 v.1 Salvete spectatores candidissimi,
2 qui litterariae rei bene cupitis,
3 hi me juvenes daturi hodie tragoediam
4 orare causam apud vos jusserunt suam.
5 Ideo hic in ipso constiti proscaenio,
6 et lege scaenica peto, ut aequis auribus
7 orationem accipiatis meam, et meos
8 gregales invidiam contra tueamini.
9 Quidam novo, atque infando exemplo clamitant,
10 factos alieno tempore ludos scaenicos,
11 et sera Bacchanalia a nobis agi,
12 dum Christianis operandum sacris fuit.
13 Nec publicos mores, nec sacra laedere
14 ludi queunt nostri. Nam non comoediam
15 jocularum, aut juveniles amores, furtave
16 puellarum, aut parasitorum scurrilia
17 huc afferunt dicta, quae infirmis solent
18 nocere mentibus, sed taetrica fabula,
19 sentiis que referta gravissimis datur,
20 in qua fortunae varias cernere est vices,
21 quae magnis opibus invidens, evertere,
22 fastigium ad summum quos evexit, solet.
23 Si quem fortuna vovit, mollibus hactenus,
24 regnumque si cui gerere praeclarum dedit
25 in populo hunc nostrae commonent tragoediae
26 exempla, suspectam fortunae ducere
27 fidem, ima summis momento mutat levi.
28 Proin favete nostrae, quaeso, fabulae,
29 memorabilesque vitae casus noscite,
30 tragoediae hujus auctor est gravissimus
31 Euripides, cujus in poematibus ait
32 oracula tot, quot versus, esse Tullius.
33 Quod si placeamus, clare mihi plausum date.
34 Sed argumentum cupitis scire fabulae,
35 id dicit jam Polydorus emissus specu
36 profundo Tartari, fatum questus suum.

PROLOGUS IN THYESTEM SENECAE.

E_2_78 v.1 Salvete spectatores candidissimi,
2 honoris huc quicumque nostri gratiae
3 venistis, et favetis artibus bonis,
4 quarum excolendarum modo causa, quicquid est,
5 quod operae ponimus in agendis fabulis
6 sumimus. At ne detineam vos diutius,
7 dicam. Thyesten acturi Senecae sumus,
8 et impia fratrum facta, tristesque exitus

9 recitabimus, o quantum ambitio parit mali.
 10 Sic regni scelerata cupiditas omnia
 11 confusa jura naturae contaminat,
 12 ut frater impias fratri injiciat manus.
 13 Proinde spectandum exemplum damus utile,
 14 nam cernere hac licebit in Tragoedia,
 15 nil esse pejus ambitione, quae omnia
 16 divina, humana, jusque et vas vertere solet,
 17 quae florentissimis quibusque fere fuit
 18 exitio civitatibus, quae denique
 19 tum plurimum nocet, cum in templa irruperit,
 20 ubi hoc tempore saevam exercet tyrannidem.
 21 O Dii quam tristis his impendet exitus,
 22 qui dum parant regnum sibi, sacra polluunt.
 23 Sed ecce prodit Tantalus huc ab inferis,
 24 is dicet argumentum hujus tragoediae.

PROLOGUS IN PHORMIONEM TERENTII.

E_2_79 v.1 Vobis salutem noster hic optat chorus,
 2 qui veste quamvis scaenica in theatrum venit
 3 mentes tamen, moresque castos, et pios
 4 retinet, Deumque vult jocis et seriis
 5 adesse, quem precamur, ut nos protegat,
 6 servetque litterariam rem publicam.
 7 Nam quod didicere fabulas, quas exhibent,
 8 honesta causa est ut Latini copia
 9 sermonis hauriatur ex his fontibus.
 10 Huic vos studio favere maxime decet :
 11 et rebus ipsis utilitas et gratia
 12 ingens inest, imagines vitae omnium
 13 pinguntur in Terentii comoediis,
 14 quae singulos, qualis deceat moderatio,
 15 qualisve in actione dignitas, monent.
 16 Leporque mixtus est, salesque candidi.
 17 Qui suavitate orationem condiunt,
 18 et saepe tecte commententur, quod expedit.
 19 Dixisse quondam fertur Attica civitas,
 20 natos Menandri comici lepidos sales
 21 illa ex salis spuma, Venus qua dicitur
 22 exorta, primum ex Oceano cum prodiit :
 23 id praedicari et de Terentii jocis
 24 quamquam severioribus conceditur.
 25 Nunc Phormionem acturus est noster chorus
 26 qui praebet in hoc innocuos theatrum jocos.
 27 Sed Phormiones sunt opinor plurimi
 28 alii, suis qui sycophantiis movent,
 29 vertuntque tota regna, quos coerceat
 30 Deus, piamque Ecclesiae pacem suae
 31 det sycophantarum peremptis coetibus,
 32 et omnium incendat regentum pectora,
 33 ut veritatem traditam divinitus
 34 et jura, justitiamque Deo gratam colant.
 35 Sed cesso. Nunc Terentianam fabulam
 36 audite quaeso cum modestia, ut decet.

EPICEDION NICOLAO CAESIO SCRIPTUM.

E_2_80 v.1 Ergone supremis rapuit mors improba fatis
 2 te Caesi, Aonii gloria magna chori.
 3 Hic tua cura fuit juvenilia corda docere,
 4 et mecum Christi multiplicare gregem.
 5 Mox erit ut coram cernamus uterque loquentem
 6 Te "logon" aeterno de genitore satum.
 7 Tunc nobis inter sanctos arcana recludes
 8 omnia, in aetherea, Christe benigne, schola.
 9 Interea Caesi mihi dilectissime salve,
 10 perpetuum salve, perpetuumque vale.

IN PINDARUM.

E_2_81 v.1 Pindarum quisquis volet explicare,
 2 ille ceratis ope Daedalea
 3 nititur pennis, vitreo daturus
 4 nomina ponto.
 5 Forsan his verbis aliquis monebit,
 6 ut relinquamus tenebras vetusti
 7 vatis, ad Dircen sua qui sonabat
 8 carmina fontem.
 9 Multa sunt quamvis satis involuta,
 10 Delphicae sortes veluti fuerunt :
 11 sunt tamen rursus quoque planiora
 12 plurima membra.
 13 Quae canunt regum memoranda facta
 14 litteris nullis aliis relata,
 15 et regunt mores hominum sequaces
 16 laude bonorum.
 17 Cum Duces Graeci petiere Colchos,
 18 Phasidos ripis legerent ut aurum,
 19 narrat Alciden agitasse remos
 20 lege coactum,
 21 sic docet summis etiam deorum
 22 filiis legum patienda vincla :
 23 legibus vires et opes superbas
 24 cedere justum est.
 25 Bella Titanum recitans nefanda,
 26 arma qui contra superos tulerunt,
 27 impios fato simili perire
 28 praemonet omnes.
 29 Ergo virtutis, sapientiaeque
 30 Musa doctrinam quia tradit isto
 31 Pindari scripto, juvenes modesti hunc
 32 noscite vatem.

PHILIPPI MELANTHONIS EPIGRAMMATUM LIBER TERTIUS.

DE PUDICITIA, EX BACCHYLIDE.

E_3_1 v.1 Ut cum de statua facies formosa remota est,
 2 non decus in reliquo corpore truncus habet :
 3 sic reliqui mores sprete sine honore jacebunt,
 4 ni sint ornati laude pudicitiae.
 (2 vers en Grec)

FORTUNA HOMINUM INSTABILIS ETC.(4 vers en Grec)

E_3_2A Graece versus scripti.

AD DOCTOREM MAGERIUM AURELIANUM.(2 vers en Grec)

E_3_2B Graece versus scripti.

PLATO IN EPINOMIDE AIT, GRATAM DE DEO FAMAM IN ASTRIS ET DOCTRINA ASTRORUM SPARSAM ESSE, QUAE SENTENTIA HOC VENUSTISSIMO DISTICHO EXPRESSA EST.

(2 vers en grec)

E_3_3 v.4 Astra quidem sunt ipsa Dei certissima signa
 5 at doctrina Deum certius esse docet.

EX MENANDRO.

(3 vers en Grec)

E_3_4 v.1 Haec vita gaudet improbis potissimum,
 2 sed assentator omnium primas tenet.
 3 Vivitque longe jucundissime omnium
 4 deinde Sycophantae proximus est honos.
 5 Audire enim calumnias dulce admodum.
 6 At tertius conceditur locus invido,
 7 artes nocendi qui scit astutissime.

EX XVIII. ILIAD. HOMERI.

E_3_5 v.1 Sit procul a divum, atque hominum discordia coetu.

EX SECUNDO ILIADOS.

E_3_6 v.1 Ad naves Ithacus propere contendit Achivas,
 2 et sceptro armatus perfert mandata Minervae,
 3 hic ubi forte aliquem procerum virtute videbat
 4 praestantem, blando revocabat comiter ore,
 5 non haec, non decet haec fortes fuga, siste pudendum
 6 siste gradum, incautumque simul compescito vulgus,
 7 Atridae quae sit nondum sententia nosti,
 8 ille animos tantum vafer explorabat inertes,
 9 ecquid adhuc salva pudeat discedere Troja,
 10 forsitan et turbae dabit huic insania poenas.
 11 Non est, crede mihi, regum placabilis ira,
 12 majestate, potens rerum quos Jupiter auxit.
 13 Huic etiam Graecae dux curae est gentis Atrides,
 14 verum ex plebe aliquem nil magnae laudis egentem,
 15 tunc etiam stolido tantum clamore ferocem
 16 deprendens, dure increpitat, sceptrumque minatur.
 17 Quo vesane ruis, mentemque quis impulit error ?
 18 Quin ades et melior quae sit sententia disce
 19 principibus, quibus est solis res publica curae,
 20 quam neque consilio, neque possis Marte juvare,
 21 omnibus hic numquam simul imperitare licebit,
 22 nam multos regnare malum est, Rex unicus esto,
 23 cui sceptrum, cui jura dedit Saturnius uni,
 24 huic debes parere Duci, atque audire monentem.

ILIADOS SEXTO, HECTOR.

(6 vers en Grec)

E_3_7 v.1 O superi talem fieri concedite gnatum,
 2 qualis ego exsisto, et virtute excellere cives,
 3 ingens ut patriae sit praesidiumque decusque
 4 et si quando redit caeso feliciter hoste,
 5 et spoliis auctus, conclament undique Troes :
 6 hic superat virtute patrem, quae gloria nati
 7 soletur tristem matris recreatque senectam.

DE ACHILLE LIBRO NONO ILIADOS.

(4 vers en Grec)

E_3_8 v.1 Deprendunt cithara cum tristes leniit iras
 2 Peliden, erat autem operi pulcherrima forma,
 3 argentoque jugum factum latera alta tegebat,
 4 Eetionea spoliium hoc avexerat urbe,
 5 hac animum ille aegrum cithara mulcere solebat,
 6 cum caneret laudes majorum, et fortia facta.

EODEM LIBRO ULYSSES RECENSET MANDATUM PELEI PATRIS,
 QUO ACHILLEM AD COMITATEM ADHORTATUS EST.

(7 vers en Grec)

E_3_9 v.1 Cum Pater ex Phthia comitem te misit Atridae,

2 quae dederit mandata tibi suprema, memento,
 3 Aeacide, lacrimans cum multa monetque rogatque :
 4 incertam belli fortunam Gnate deorum
 5 committe arbitrio, et fatis, victoria laeta
 6 continget, superi si vestra incepta secudent,
 7 sed juvenilem animum frenare, et vincere, cura
 8 sit tua, crede mihi, placido est nil pectore majus,
 9 atque iram furiale malum compesce, meretur
 10 haec virtus juxta juvenumque senumque favorem.

ET PAULO POST PHOENIX DICIT SE A PELEO PATRE ACHILLI JUVENI COMITEM
 DATUM ESSE AD BELLUM, UT ILLUM EFFICERET ORATOREM VERBORUM,
 ACTOREMQUE RERUM.

(6 vers en grec)

E_3_10 v.1 Incertos casus, dubiique pericula Martis,
 2 consiliique artes nondum, Pelide, tenebas,
 3 quae decus immensum pariunt, famamque perennem.
 4 At tibi me Peleus comitem pater addidit, unde
 5 dicendi discas rationem, et fortia facta.

EX EODEM LIBRO.

(2 vers en grec)

E_3_11 v.1 Exsulet urbe sua longe laribusque domoque,
 2 qui cupit in sese cives dira arma parare.
 (9 vers en grec)

PHILIP. MELANTH.

E_3_12 v.1 E parvo alveolo furantem mella procacem,
 2 fixit apis puerum Veneris, digitosque tenellos
 3 vulnere non uno laceravit, saucia laeso
 4 intumuitque manus, verum puer ipse doloris
 5 impatiens, plodensque solum pernicipibus alis
 6 subvolat ad matrem, digitos monstratque cruentos,
 7 "Quantula, ait, volucris mortalia vulnera fecit " ;
 8 mater ait ridens : "Tantillus qualia saepe
 9 vulnera das, puer, ac apibus non corpore praestas".

EX HESIODO.

(5 vers en Grec)

E_3_13 v.1 Omnia per sese qui praevidet optimus ille est :
 2 proximus ille tamen qui paret recta monenti ;
 3 sed qui non sapit ipse, nec audit recta monentem,
 4 invida ei mentem misero natura negavit.

ALITER REDDITUM.

E_3_14A v.1 Qui nullo monitore potest facienda videre,
 2 quaeque decent, quaeque eventus in fine secundos

3 sunt tandem paritura, suisque obtemperat ipse
 4 consiliis, mores vera ratione gubernans,
 5 anteit hic alios virtute et laudibus omnes.

E_3_14B v.1 Sunt alii minus ingenio plerique sagaces,
 2 qui parere tamen curant meliora monenti,
 3 laudandos inter recte numerantur et isti.

E_3_14C v.1 Sed qui nec sapit ipse, nec audit recta monentes,
 2 nec patitur frenos, nec legum vincula curat,
 3 sed pronus sequitur, quo traxit caeca libido,
 4 hic malus, ac odio dignus ducatur, et idem
 5 accerset poenas sibi tandem, et tristia damna.

IN 'KERIOKLEPTÔ' THEOCRITI.

E_3_15 v.1 Pungit apis puerum Veneris, dum dulcia mella
 2 furatur, sic sunt dulcia mixta malis.

PRODIGIUM CONSPECTUM IN CIVITATE SYBARI SITA IN EXTREMA PARTE ITALIAE,
 ANTEQUAM DELERETUR.

E_3_16 v.1 Cum Sybaris peritura fuit, sunt omina visa :
 2 praecedunt poenas nuntia signa graves.
 3 In medio conspecta foro bilem atque cruorem,
 4 terribili specie lurida Juno vomit.

CITEOS FUISSE IN LOCIS VICINIS MACEDONIAE EX HOMERO MANIFESTUM EST,
 QUI SIC AIT ODYSS.11.

(3 vers en Grec)

E_3_17 v.1 Ipse Neoptolemus telo trajecit acuto
 2 magnanimum Eurypyllum, genuit quem Telephus ingens
 3 Ceteiosque olim juxta prostravit, in arma
 4 conjugium quos promissum traxisse ferebant.

VERSUS OPPIANI DE ARDORE INTER CERVUM ET CERVAM.

(2 vers en grec)

E_3_18 v.1 Ipse quidem cervus pedibus velocibus ipsam
 2 cum fugit, assequitur, sistitque amplexus amatam.

IOCASTE APUD EURIPIDEM AD FILIUM ETEOCLEM.

(3 vers en Grec)

E_3_19 v.1 Senecta non laborat omnibus malis,
 2 sed gnate, magnam rerum habet experientiam,
 3 dicendo polleat ut plus junioribus.

'EUKLEIDOU GEOMETRIKOU'.

(7 vers en Grec)

E_3_20 v.1 Mulae asinaeque duos imponit servulus utres
 2 impletos vino, segnemque ut vidit asellam
 3 pondere defessam, vestigia figere tarda,
 4 multa rogat. "Quid cara parens cunctare, gemisque,
 5 unam ex utre tuo mensuram si mihi reddas,
 6 duplum oneris tunc ipsa feram, sed si tibi tradam
 7 unam mensuram, fient aequalia utrique
 8 pondera : mensuras dic docte Geometer istas."

EPITAPHIUM GUILIELMI NESENI. (4 vers en Grec)

E_3_21 Graece versus scripti.

EPITAPHIUM Petri Mosellani. (6 vers en grec)

E_3_22 Graece versus scripti.

EPITAPHIUM DOCTORIS MARTINI LUTHERI.

(2 vers en Grec)

E_3_23 v.1 Qui Christum docuit pure, et bona plurima fecit,
 2 Lutheri hac urna molliter ossa cubant.

EPITAPHIUM IOHANNIS ECCII.

(2 vers en Grec)

E_3_24 v.1 Multa vorans et multa bibens, mala plurima dicens
 2 Eccius, hac posuit putre cadaver humo.

SYRII ORTUS NOXIOS AESTUS EFFICIT, EX HOMERO ILIADOS 22.

E_3_25 v.1 Quem senior Priamus primus conspexit in armis
 2 fulgentem veluti sidus quod sole relicto
 3 anteit Autumnum, nocturnosque eminent inter
 4 ignes, atque suo vincit splendore tenebras,
 5 formosique tenet nomen Canis Orionis,
 6 qui febrim et morbos miseris mortalibus affert.

ELEMENTA CONTRARIAS HABENT QUALITATES, ET PUGNANT INTER SE,
EX EMPEDOCLE.

E_3_26 v.1 Jungit amor quandoque elementa, et semina rerum,
 2 dissiliunt odiis eadem certantia rursus,
 3 sic res gignit amor, sed non durable quidquam
 4 nascitur, inque vices mutantur cuncta subinde.
 (4 vers en Grec)

ARATO SICYONIO STATUA EST POSITA IN PATRIA PROPTER EJUS VIRTUTEM,
CUM HAC INSCRIPTIONE.

(6 vers en Grec, et leur transposition en Latin)

E_3_27 v.1 Venit ad Herculeas quamquam tua fama columnas,
2 dum patriam servas inclute, Arate, tuam :
3 nos tamen hanc statuum pro libertate recepta,
4 virtutis testem fecimus esse tuae.
5 Communis tibi cum diis servatoribus esto
6 hic honor, in patriam nam pia jura refers.

ORACULUM EX PAUSANIA,
QUO POENA LACEDAEMONIIS OB DUAS FILIAS SCEDASI VI STUPRATAS,
ET IN PUTEUM ABJECTAS, IN LEUCTRIS DENUNTIATA FUIT.

E_3_28 v.1 Leuctra mihi sunt curae, et mors tristissima gnatae
2 occisae Scedasi quae periere dux.
3 Hic atrox fiet pugna, et saevissima caedes,
4 fatalis quando venerit illa dies.
5 Quam prius haud quisquam norit, quam Dorica pubes
6 amittet robur, militiaeque duces.

ORACULUM IN ACHAICIS PAUSANIAE,
IN QUO DUO DESCRIBUNTUR PHILIPPI, QUORUM PRIOREM AIT FORE FELICEM REGEM,
POSTERIOREM VERO, VIDELICET ILLUM QUI CUM ROMANIS BELLUM GESSIT,
REGNI EVERSOREM.

E_3_29 v.1 In Macedum populis clarissima regna tenebunt,
2 Argiva de stirpe, bonum, damnumque Philippi.
3 Horum qui prior est, gentes urbesque domabit,
4 sed veteris regni perdet decus omne secundus
5 a populis victus, quos mittent vesper et ortus.

APOLLO APUD CALLIMACHUM INQUIT, COMMUNEM ESSE VICTORIAM SIBI
ET PTOLEMAEO EUERGETI, QUI ETIAM CELTIS IN ASIA GRASSANTIBUS RESISTEBAT.

E_3_30 v.1 Contra hostem fient communia proelia nobis,
2 Celtica cum contra Graecos gens bella movebit,
3 Titanum soboles, extremo cardine terrae
4 effusa, Hesperias et sedes effera linquet,
5 continuas densasque nives ut spargere bruma
6 flante solet Borea, venient sic agmina densa.
7 Non tamen haec stolidis Galatis via fausta futura est.

CLIPEUS TITI FLAMINII SUSPENSUS IN TEMPLO DELPHICO CUM HAC INSCRIPTIONE.

E_3_31 v.1 Tyndaridae fratres, quorum fuit incluta virtus,
2 custodes inter quos modo Sparta colit.
3 Leges, Libertas, et Pax sunt optima dona,

2 id gratius fit liberali pectore
3 et sponte cum datur : datum morosius,
4 lenteque, non habebit ullam gratiam.
5 Ergo volens gnatum exhibeto patriae,
6 ut fiat hostia pro salute publica.
7 Mentemque causae permovent graves meam,
8 urbs nostra multis antecellit ceteris,
9 nequaquam enim confluit huc ex dissonis
10 confusa multitudo gentibus, gerens
11 moresque naturasque dissimiles sibi ;
12 sed mater haec est una tellus Attica,
13 stirpis vetustae civium, ex hoc quam solo
14 mundi architectatrix creavit mens Dei,
15 virtutis acres inferens stimulos satae.
16 Sed condidere urbes coloni ceteras,
17 passim profecti dissitis regionibus,
18 non congruentes mentibus, lusor velut
19 si discolores in fritillo misceat
20 talos. At Urbem quisquis externam incolit,
21 ut in tigillo nodus asper eminens,
22 ceu tignum ad ordinem aedificii non quadrans
23 non ille mente civis est, sed nomine.
24 Nostra ergo pro patria, verendis legibus,
25 et constituta moribus bonis decet
26 pericla adire, et perpeti aerumnas graves,
27 causamque quare procreamus liberos
28 hanc esse praecipuam putandum est, ut Dei
29 notitia luceat futuris saeculis,
30 semperque custodes sient superstites
31 caelestium legum, atque templorum Dei.
32 Qui in patria tueantur has res optimas,
33 et disciplinam civium, et mores bonos
34 non impia feritate deleri sinant.
35 Nec franget ullus hoc nostrum pectus timor,
36 violare leges ut velim sanctissimas,
37 quae singulos prodesse patriae jubent,
38 cum morte filiae unius periculo
39 nunc liberari tota possit civitas.
40 Nam me docet numeratio, ut servem magis
41 quo plus videmus esse, quam quod est minus.
42 Unam domum labi, minus certe est mali,
43 quam civitatem ruere totam funditus.
44 Si pro puella germen esset masculum
45 natum mihi, bellumque forte posceret,
46 cives ut hostem dimicantes proelio
47 depellerent, num filium mortis metu
48 recusem in aciem mittere ? At vero mihi
49 tales ego opto filios, qui fortiter
50 et proelientur, et velint excellere
51 inter viros virtute clari ceteros,
52 nec sint in urbe ceu figurae inutiles,
53 aut picta ceu simulacra parietes tenent.
54 Sed saepe matrum lacrimae cum filii
55 arma induunt, animos eorum effeminant.
56 Harum ejulatus atque mollia pectora
57 non laudo, quibus ignava vita carior

58 est filiorum, quam decus pulcherrimum.
 59 Et quae suis suadere turpitudinem
 60 audent, honore nec sepulcri, et posteri
 61 moventur approbatione saeculi,
 62 quod praedicat virtutem eorum laudibus
 63 veris et immortalibus, qui patriam
 64 et templa protexere, nec mortis metu
 65 cessere nostris hostibus, nec sanguinem
 66 vitamque dubitarunt suam profundere.
 67 Et filiae nostrae futura est gloria
 68 aeterna, si pro patria mortem oppetat,
 69 geminasque servabit sorores unica.
 70 Caedam ergo gnatham, ut fiat hostia civibus,
 71 non dico enim esse proprie unius meam,
 72 nisi quod ex alvo mea ceu plantula
 73 nata est. At urbe perdita simul omnia
 74 perire nosque liberosque cernerem.
 75 Sed dixeris : "Exstincta si sit filia,
 76 nos una in urbe sceptrum deinde amittere.
 77 Esto ferent ut fata, stirps tunc altera
 78 in urbe nostrae principem teneat locum.
 79 Servasse patriam majus est regno decus :
 80 denique voluntas recta sit quod possumus
 81 praestare, legibus volo sanctissimis
 82 parere, nec violare eas sciens velim.
 83 Et interim fruar bonis communibus,
 84 legum ordine, atque disciplina civium,
 85 quae me volente nullus hic deleverit,
 86 non sede stantem Palladem firmissima,
 87 laevaue terrificos tenentem Gorgonis
 88 angues movebit, aut ab Arctoa plaga
 89 Eumolpus huc exercitum ducent ferum,
 90 aut barbarae gentis furor Thracensium.
 91 Ne hostis hic tropaea figet uspiam,
 92 nullos triumphos hic aget, nec laurea
 93 victrice glorians superbe ornabitur.
 94 Concedo, cives victimam hinc abducite,
 95 ut salva sit victrixque nostra patria.
 96 Nam filiae vitae salutem publicam,
 97 immota stat sententia, anteponere.
 98 O patria utinam diligant te singuli
 99 cives, ut hoc ardet meum pectus tui
 100 amore vero, si voluntas principum
 101 talis foret, tranquillior status tuus
 102 maneret, et motus domesticos mali
 103 cedere non possent, et hostes externos
 104 arcere posset omnium concordia."

HECTOR APUD HOMERUM ILIADOS 15 ADHORTATUR TROJANOS,
 UT PRO PATRIA DIMICENT.

E_3_37 v.1 Conferti naves animis ingentibus inter
 2 quisque suo pugnate loco, nec vulnere quisquam,
 3 seu mortis fugiat pavidus formidine victus,
 4 sed jaceat, si quem fati sors dura peremit,

5 pro patria magnum decus est profundere vitam,
 6 nam reliqui cives nostra virtute teguntur,
 7 et salvae interea matres natique manebunt,
 8 qui sunt aetatis venturae semina, et urbis.
 9 Temples manent, legesque bonae, pietasque pudorque,
 10 et tunc quisque suis rebus, fundisque fruetur,
 11 cum pulsi fugient hostes in patria regna.

POEMA VETERIS POETAE TYRTAEI LATINO CARMINE REDDITUM.

E_3_38 v.1 In prima pugnante acie cecidisse decorum est,
 2 servantem patriae moenia cara suae.
 3 Nam miserum est patria amissa laribusque vagari
 4 mendicum, et timida voce rogare cibos.
 5 Cum natisque errare suis et conjuge maesta,
 6 et cum matre pia, cumque parente sene.
 7 Omnibus invisus quoscumque accesserit exsul
 8 semper erit, semper spretus egensque jacet.
 9 Nullus honor generi est, et perdita gratia forma est,
 10 cunctaque tabescunt membra dolore gravi.
 11 Curat nemo vagos, et laedere nemo veretur,
 12 non exsul curae ducitur esse Deo.
 13 Intrepidi pugnate viri, et profundite vitam,
 14 quam patriae debet reddere quisque suae.
 15 Nemo aciem linquens aliis sit causa pavoris,
 16 junge maniplari corpus, et arma tuo.
 17 Ingentique ira flagrent audacia corda,
 18 nec vitae nimius pectora frangat amor.
 19 Nec juvenile agmen tardos aetate relinquat,
 20 corpora sunt quorum languidiora, senes.
 21 Indignum est aciem ante senilia fusa jacere
 22 corpora, jam juvenum diffugiente manu.
 23 Quo magis hoc miserum est in pulvere linquere vitam,
 24 canitie quod sint jam veneranda sua.
 25 Quam triste est latis spectare jacentia passim
 26 nudata in campis membra cruenta senum.
 27 Qui quamquam exhalant animas, meminere pudoris,
 28 quasque decet partes occuluisse, tegunt.
 29 Ac superant formae juvenilia corpora flore,
 30 in quibus et virtus gratior esse solet.
 31 Inque acie juvenem prima pugnare decorum est,
 32 signa etiam decus est si cadat ante sua.
 33 Ergo tuo consiste loco pede firmus utroque
 34 compressos dentes, et labra morsa tenens.

VOLUCRES POTIUS MORTEM OPPETUNT QUAM NIDOS DESERUNT, EX VETERI POEMATE.

(2 vers en Grec, et la transposition en Latin)

E_3_39 v.1 Non quem sibi nidum volucris struxerat
 2 relinquit, atque cedit alteri fugax,
 3 ovis ut alia ibi incubet recentibus.

EX EURIPIDE IN PHOENISSIS.

E_3_40A v.1 Si quis malorum gaudeat commercio,
 2 rogare qualis ipse sit, nihil est opus :
 3 nam quisque similis est sodalicii sui,
 4 vadens ad aucupia cum visco et illice.

IAMBICA EX ANTIGONE SOPHOCLIS.

E_3_40B v.1 Non pectus ullius potest introspecti,
 2 urbis magistratus priusquam gesserit.
 3 Ego, si quis in gravi periculo civium,
 4 vere salutarem sciens sententiam,
 5 eam timore victus occultat tamen,
 6 hunc judico civem esse malum ac inutilem,
 7 et si quis antefert saluti patriae,
 8 privati amici gratiam atque munera,
 9 hic omnium est mortalium injustissimus.
 10 Ergo Deum testem invoco, si patriae
 11 discrimen impendere videro meae,
 12 me voce dicturum atque mente libera
 13 sententiam, verissima quae videbitur.
 14 Nec ullus hostis civitatis publicus,
 15 privatim amicus esse ducetur mihi.
 16 Sed navis haec quae servet omnes unica
 17 sit civitas, qua cum vehemur integra,
 18 in ipsa amicos quaerere florente liceat.

EPITAPHIUM REVERENDI VIRI D. IOHANNIS HESSI S. THEOLOGIAE DOCTORIS,
 ET VRATISLAVIENSIS ECCLESIAE PASTORIS. (12 vers en Grec)

E_3_41 Graece versus scripti.

EPITAPHIUM LEONARTI,
 FILII VIRI CLARISSIMI VIRI GEORGII MAJORIS DOCTORIS THEOLOGIAE.
 (12 vers en Grec)

E_3_42 Graece versus scripti.

AD REGEM. (vers en Grec)

E_3_43 Graece versus scripti.

PHILIPPUS.

E_3_44 v.1 Cum necterem corollam,
 2 inter rosas repertum
 3 cupidinem prehendi
 4 ala, meroque mergens
 5 una imbibi procacem.
 6 Nunc ille saevit imis

7 puer mihi in medullis.

AENIGMA PHILIP. MELANTH.

(4 vers en Grec)

E_3_45 v.1 Discite praecipue Solis motumque viasque,
2 vos quibus est patrium Francica terra solum.
3 Namque dies totos quos traxerit ambitus anni,
4 id fluvii vestri vox bene nota sonat.

D. PAULUS EBERUS.

E_3_46 v.1 Hoc tibi monstrat idem Fluvii vox Graeca, quotannis
2 post messem Pharii qui rigat arva soli.

LIMITES GERMANIAE.

(2 fois 4 vers en Grec, et la transposition en Latin :)

E_3_47 v.1 Rhenus ab occasu, Viadri sed flumen ab ortu,
2 clausurunt fines Teutona terra tuos.
3 Aeriaeque Alpes immotum limes ad austrum,
4 Balticus id Boream terminat Oceanus.

ARATI CARMEN A PHILIPPO REDDITUM.

E_3_48 v.1 Mortales nondum deprendimus omnia signa,
2 quae Deus impressit naturae conditor arte :
3 sed nos multa latent, quae nondum comperit usus,
4 quorum aliqua ostendet venturis Juppiter annis,
5 qui genus humanum cum vere diligat, augens
6 muneribus variis toto se monstrat in orbe.
7 Ut quoties oculis incurrunt undique nostris,
8 esse Deum doceant vestigia talia, nosque
9 esse ipsi curae monitos testentur, et ipsum
10 agnoscant nostrae mentes, lucemque sequantur
11 justitiae, quam nostra opifex in pectora sparsit.

APUD ATHENAEUM 'GLAUX EN TAPHÔ'. DE SOPHOCLE SENE HABENTE VETULAM.

E_3_49 v.1 Noctua ut in gelido cum nidum forte sepulcro
2 construit, et caecum foeda cubile tenet :
3 talis erit thalamus vetulae mulieris, egenti
4 et deliranti quae male nupta seni est.

CONTRA CURIOSITATEM.

(4 vers en Grec)

E_3_50 v.1 Non curiose vivere est ingens bonum,
2 si modo nec inter curiosos vivere

3 cogaris, et inter factiosos complices.
 4 Sed quando vivis inter beluas malas,
 5 et simias, oportet fieri simiam :
 6 heu vita quantis miseriis obnoxia est.

HEXASTICHON P. M. DE DICTO 1. PARAL. 17. ASPEXISTI ME IN FORMA HOMINIS,
 QUI ES IN EXCELSIS IEHOVAH DEUS.

E_3_51 v.1 In forma quod nos hominis, placidissime Christe,
 2 aspicias, et tamen es conditor ipse Deus :
 3 et nostram massam miseratus crimina deles,
 4 et vitae aeternae gaudia vera dabis.
 5 Haec grati canimus tua dona, simulque precamur,
 6 te nos ut doceas, luce regasque tua.

HESIODUS LIBRO II. 'ERGA KAI HEMERAI'.

(5 vers en Grec)

E_3_52 v.1 Cum cuculus raucum querna super arbore cantum
 2 ingeminat, laetusque novi ver nuntiat anni,
 3 continuo e caelo fecundus defluit imber.
 4 Si large ille boum vestigia flumine replet,
 5 clara diem terris dum quartum aurora revexit,
 6 irrigat, atque siti morientes recreat herbas.

EPIGRAMMATUM REVERENDI VIRI PHILIPPI MELANTHONIS LIBER QUARTUS.

EX OPPIANO DE VENATIONE PARDORUM.

E_4_1 v.1 Retia nigrantes late cingentia saltus
 2 acer odoratus venator tendere pardis
 3 extimet, et stricto propius contingere ferro.
 4 Tam tristes iras violento in corpore versant,
 5 infracti ut telis concurrere fortibus ausint.
 6 Saepe etiam superant non aequis viribus hostem,
 7 dum vafer extremis sese concredidit armis,
 8 et nimis insano venabula perdidit ictu.
 9 Ergo dolo tantum celeres vincuntur, et ante
 10 insidiis frenandus erit, qui robore vinci
 11 nesciat, et vires quem debellare ferocem
 12 non aliae possunt prudens solertia frangit.
 13 Mirandum Pardis vini fragrantis amorem

14 esse senex vario venator comperit usu,
 15 idcirco observans anima non flante latebras
 16 illorum, calido perfundit nectare terram
 17 impiger, et tacito spumantia cymbia gressu
 18 ordine disponens, hinc atque hinc antra coronat.
 19 Nec mora, laetus odor, vinique nociva cupido
 20 elicit insanos, et in atra pericula mittit,
 21 tum vero ingeminant haustus laticemque lyaeum
 22 exsorbent, et Bassaridum trieterica vivunt :
 23 languida quin etiam furioso corpora cursu,
 24 in venerem solvunt, vino faciente soporem :
 25 mox citus assurgit venator, et opprimit arte,
 26 robore quos numquam poterat, praedaeque potitur.
 27 Heu mihi quam multos nimia virtute superbos
 28 invenias pardis similes, qui nomina factis
 29 extendunt nitido pulsantes vertice caelum,
 30 hos tamen infandae vel flamma libidinis urit,
 31 vel mala luxuries mixtoque insania Baccho.
 32 Aspice Pellaeum pardum, quo pulchrior alter
 33 non fuit in pulchro quem vicerat orbe nec umquam
 34 res similes gessit quisquam brevioribus annis.
 35 Confectos aetate senes bellique labore
 36 consiliis vicit cunctos, in flore juventae.
 37 Ergo illi nocuere nihil nec tela nec hostes,
 38 sed foeda ebrietas et desidiosa voluptas.
 39 Qui sapis, invictaeque decus servare laboras
 40 virtutis, semper fuge desidis otia vitae.
 41 Ac memor esto, Deum, cum sit castissimus idem,
 42 plectere pollutos et tandem extollere castos.

IN AESCHINIS ET DEMOSTHENIS 'TOUS ANTIPALOUS LOGOUS'
 AD IOACHIMUM CAMERARIUM ANNO CHRISTI 1523.

E_4_2 v.1 Divinas Joachime contiones
 2 donamus tibi rhetorum duorum,
 3 facundo quibus ore dii dederunt
 4 ingentes regere, et tueri Athenas
 5 in ripa veluti solebat Hebri
 6 Orpheus carmine flectere efficaci,
 7 et mulcere feras, virentibusque
 8 ornis indere quercibusque mentem,
 9 plebem non aliter tenent sequacem
 10 hi leges quoties foro frequente
 11 condunt, et minitantur improborum
 12 vim justam temerario furori,
 13 et donant melioribus salutem,
 14 aut cives pia cum vocant ad arma,
 15 ignavaeque adhibent faces coronae,
 16 aut cum reddere dulce civitati
 17 optatumque diu otium laborant.
 18 Deberi tibi lucubrationes
 19 jure existimo talium virorum,
 20 unus qui evehis Atticis Athenis
 21 ad duos Alemaniae colonos
 22 priscarum monumenta litterarum,

23 longumque ex Helicone ducis agmen
 24 Musarum, tibi quae recentiores
 25 contextunt hederasque laureamque,
 26 cantuque Hercyniam novo ferocem
 27 te lenire jubent, et imprecantur
 28 immortalis decus tibi Joachime.

IN MORTEM BEBELII POETAE PHILIPPI MELANTHONIS ADHUC ADOLESCENTIS
 EPIGRAMMA.

(14 vers en Grec et leur transposition en Latin)

E_4_3 v.1 Si vivere est mortalibus
 2 prodesse, vivit inclutus
 3 Bebelius, qui litteras
 4 Hercyniis primus dedit.
 5 Sin vivere est accumbere
 6 Deo, Bebelium quidem
 7 dat sese virtus perfrui
 8 caelestium. Vivit igitur.
 9 At ceterarum quicquid est
 10 rerum, unus est tricesimus,
 11 nam corpus aridus cinis,
 12 merum est voluptas toxicum,
 13 et fastus imprudentium
 14 nugae, omnia cetera omnium,
 15 umbrae fugacis somnium.

FRANCISCO VINARIENSI ANNO 1535.

E_4_4 v.1 Cur te delectant aulae Francisce venena,
 2 et capiunt animam non bona vera tuum ?
 3 Quid titulos ambis, et falsos quaeris honores,
 4 tincta venenato fercula melle petens ?
 5 Dii tibi monstrarunt faciles bona vera, sed ars est
 6 haec novisse, modo his legitimoque frui.
 7 Suaviolum roseis quod fert tibi casta labellis,
 8 cum pariter conjunx pectus et ora premit.
 9 Omnibus hoc unum regnis, ac omnibus aulis,
 10 atque opibus regum si sapis anteferes.
 11 Has tibi delicias tristis male condiet aula,
 12 ingentes curas quae sine fine parit.
 13 Omnia Plutonis quae regia fertur habere,
 14 supplicia infelix afferet aula tibi.

RHADAMANTI LEX TALIONIS EX V. 'ETHIKON' ARISTOTELIS.

E_4_5 v.1 Justa malis haec admissio pro crimine poena est :
 2 si quae fecerunt eadem patiantur et ipsi.

DE DICTO ESAIAE CAPITE 30. DABIT VOBIS DOMINUS PANEM ARCTUM ET AQUAM,
 ET NON SINET AVOLARE DOCTOREM ETC.

E_4_6 v.1 Quamquam urbes et regna ruunt, et nulla videtur
 2 doctrinae sedes firma futura piaae :
 3 non tamen has inter Christus periisse ruinas
 4 agmina quae discunt dogmata vera sinet :
 5 sed dabit hospitium nobis, donoque modeste
 6 hoc inter jussit tanta pericla frui.
 7 Sic patris aeterni dicunt dulcissima verba,
 8 nos omnes semper quae meminisse decet.
 9 Doctorem verum panesque undasque salubres,
 10 munera sed vobis cum cruce tanta dabo.
 11 Non tamen aerumnae vestrae sine fine manebunt,
 12 mox aderit cunctis meta statuta malis,
 13 aeterni gnatum patris tua lumina cernent,
 14 laetus et aeterni luce fruere Dei.
 15 Haec spes discenti tribuat solacia certa :
 16 irrita non fient vota laborque pii.

DE DISCRIMINE HISTORIAE HERODOTI, THUCYDIDIS ET XENOPHONTIS.

E_4_7 v.1 Historiam Herodoto Musae narrasse feruntur,
 2 Qui vincit cunctos rebus, et eloquio.
 3 Tempore Thucydides quamvis est proximus isti,
 4 et grandi tamquam classica voce sonat :
 5 sermonis Xenophon tamen hunc dulcedine vincit,
 6 exemplum Regis pingit et arte boni.

DE INQUIETIS INGENIIS FORTUNAM SIBI FABRICANTIBUS EPIGRAMMA.

E_4_8 v.1 Omnia contigerint cum vitae commoda multis,
 2 firma valetudo, conjunx jucunda, laesque
 3 et civilis honor, et pax dulcissima rerum :
 4 cur tamen humanae mentis furiosa cupido
 5 appetit immensum semper sine fine modoque,
 6 aerumnasque volens, fatumque accersit acerbum ?
 7 Causa est una, Deum quod rectorem, excutit audax.

IN EMSERUM ET FABRUM ANTILUTHERANOS.

E_4_9 v.1 Emserus caper est, Fabrum Constantia mittit,
 2 ille suis fumis uritur, hic scabie.

ANDREAE CAMITIANO JURISC. SCRIPTUM WORMATIAE, ANNO 1540 :

E_4_10 v.1 Interpres juris, cujus doctrina senatum,
 2 et populi motus, consiliumque regit,
 3 est inter cives merito ceu numen habendus,
 4 et vero dignus semper honore coli ;
 5 si modo justitiam, pacemque fidemque tuetur
 6 et Christi leges asserit, atque colit.
 7 Ut qui nolebat diram defendere caedem,
 8 qua fratrem Caesar sustulit ipse Getam :

9 ut Morus, qui, ne divortia taetra probaret,
 10 saevitiam subiit foede Tyranne tuam.
 11 Non tituli insignes faciunt, nec purpura clarum,
 12 si vendit fumos, aut struit arte dolos.

'APOPHTHEGMA' ALB. DURERI.
 INGENIUM SINE DOCTRINA ESSE SPECULUM IMPOLITUM.

E_4_11 v.1 Ut nulla e speculis rudibus resplendet imago,
 2 ni sint artificis rite polita manu :
 3 ingenii sic usus erit non ullus acuti,
 4 doctrinae si non erudiatur ope.

IOCUS AD GEORGIUM SPALATINUM,
 QUI CUM LUTHERI EX SORORE NEPTE EODEM CURRU VECTUS EX CONVENTU
 SMALKALDENSI, CONDUCTA ALIA RHEDA, UT LUTHERUM ET PHILIPPUM,
 QUOS PERENDIE HOSPITIO EXCEPTURUS ERAT, ANTEVENIRET,
 Everso curru in lutum projectus fuit.

E_4_12 v.1 Qualis luce nova cum primum cornua complet,
 2 Hesperis vehitur Cynthia pulchra plagis :
 3 qualis et Eoo formosum lumen in orbe
 4 ante diem spargit candida mane Venus :
 5 talis in hoc curru vehitur Spalatine puella,
 6 qui tibi non caeca sorte dicatus erat.
 7 Hanc prope cum posses solus Spalatine sedere,
 8 et teneris digitis implicuisse manus.
 9 Et cum colloquium posses, miscere suave,
 10 in casta patitur virgine quale pudor.
 11 Cur tamen ignota solam regione relinquis ?
 12 Carpentoque alio cur fugere inde paras ?
 13 Durior Aegidat es, qui raptam in litore liquit,
 14 debebat vitam cui tamen ipse suam.
 15 Hinc irata Venus, sortemque miserta puella,
 16 in media propere est te remorata via.
 17 Carpentumque tuum caeno demisit in alto,
 18 hac pro neglecta virgine poena fuit.

LUTHERUS EX CONVENTU DIVERTENS AD SPALATINUM.

E_4_13 v.1 Christus in infirmo venit huc Spalatine Luthero,
 2 et tua pro requie tecta benigna petit.
 3 Quicquid huic facies, sibi factum iudicat ille,
 4 qui nos membra sui corporis esse docet.

ILLUSTRI COMITI MICHAELI WERTHEMIO DISCEDENTI EX ACADEMIA LIPSICA
 'PROPEMPTIKON'.

E_4_14 v.1 Isaciden veluti redeuntem in rura paterna,
 2 Jordanis vitreas tunc ubi volvit aquas :
 3 protexit custos qui membra senilia fovit,
 4 languida cum lucta fracta fuere gravi :
 5 idem te custos patrias ita ducat in arces,

6 tradat et incolumi debita sceptrā tibi.
 7 Nec leve onus sceptri est, crescent curaeque, laborque,
 8 cum rudibus populis jura ferenda dabis.
 9 Tunc igitur custos idem feliciter adsit,
 10 luctanti praesens auxiliumque ferat.
 11 Crede feret, si tu mores retinebis honestos,
 12 sinceraque Deum si pietate coles.
 13 At non Sirenum illecebris capiāris in aulis
 14 quae leviter curant numina sancta Dei.
 15 Et luxu suadent fugientem perdere vitam,
 16 nec leges, morum vincula honesta, pati.
 17 Auribus obstructis Sirenum has effuge voces,
 18 et vitae, Christus sit tibi norma, tuae.
 19 Sic tibi laeta fluent peragenda tempora vitae,
 20 et cernes generis prospera fata tui.

DE UTILITATE LECTIONIS HISTORIARUM.

E_4_15 v.1 In genere humano cernit Deus omnia vindex,
 2 et certa injustis poena venire solet.
 3 Hujus iudicii testes cognoscere semper
 4 historias sapiens praecipit ipse Deus.
 5 Ingentem ut metuas praesentis iudicis iram,
 6 et poenae frenet mollia corda metus.

E GRAECO. HAEC EST OS EX OSSIBUS MEIS.

E_4_16 v.1 Aspexit juvenem formosa puella superbum,
 2 ipsius in vultu lumina fixa tenens.
 3 Hic ait : "In terram potius tu deice ocellos".
 4 Non oculos habeat casta puella vagos.
 5 Imo, ait haec : "Magis in terra tu lumina figas,
 6 ex terra primum nam tua facta caro est.
 7 Nostri principium fuit ortus costa virilis,
 8 hanc quaero, et jungi me velit illa sibi."

AND. CAMITIANO WORMATIAE DE IPSIUS NATALI, ANNO 1540. DIE ANDREAE.

E_4_17 v.1 Hunc, Andrea, diem cara cum conjugē natos
 2 spero equidem laetos concelebrare tuos.
 3 Jamque pudica parens gnatum, parvasque sorores
 4 vota iterare jubet pro genitore suo.
 5 Nomine nos etiam moniti, tibi fausta precamur,
 6 ut servet Christus teque, tuamque domum,
 7 nec dubito, afficitur votis Deus optimus istis,
 8 hos audit, qui te, maxime Christe, colunt,
 9 tu quoque legatus nunc es pro dogmate Christi,
 10 ut Domini Andreas nuntius ille fuit.
 11 Curat legatos, quos mittit rector Olympi,
 12 non ergo curam deseret ipse tui.

LOCUS PLATONIS VII. DE RE PUB. QUI EST COMMENDATIO DIALECTICAE.

E_4_18 v.1 Sermonis certas tradit dialectica leges,
 2 quaque via possis prendere vera, docet.
 3 Ac velut in caenum incautus si forte viator
 4 labitur, atque udo polluit ora fimo :
 5 surgit, et immundis sordes detergit ocellis,
 6 abluit et turpi squalida membra luto ;
 7 sic hebetes oculos acuit dialectica mentis,
 8 Lynceus ut videas lumina vera puer.

DIE PENTECOSTES PRECATIO LIPSIAE SCRIPTA.

E_4_19 v.1 Vox tua Gnate Dei est, accendere velle parentem
 2 aeternum flatu pectora nostra tuo.
 3 Promissumque jubes munus votisque fideque
 4 poscat ut hic coetus, qui tua jussa colit.
 5 Haec igitur freti, Christe optime, voce rogamus,
 6 ignis ut inflammet pectora nostra tuus.

VERSUS HESIODI QUOS AESCHINES ORACULUM NOMINAT.
 'Pollakis sumpasa polis kakou andros epaurei' etc.

E_4_20 v.1 Unius ob culpam saepe urbs dabit integra poenas,
 2 justitiam spretis violat qui legibus, inde
 3 supplicium iratus de tota Juppiter urbe
 4 sumit, et immittit, miseris pestemque famemque,
 5 strata jacent varia morientia corpora clade,
 6 ac cecidit fugiens victorem exercitus hostem,
 7 avulsive solo merguntur in aequore muri,
 8 fluctibus aut mediis poenas dabit obruta puppis.

IN HYAENAM RATISBONENSEM. DISTICHON.

E_4_21 v.1 Emendare strophas hujus, fraudesque libelli
 2 non multae possunt, una litura potest.

CONTIONATORIBUS NORIBERGENSIBUS WORMATIAE.

E_4_22 v.1 Corda fide laudat Christus lucentia vera,
 2 quaeque Deum fuci nescia rite colunt.
 3 Et monachorum odit fraudes, simulataque vota :
 4 non injussa Deus sacra probare solet.
 5 Haec expendemus si forte libebit adesse,
 6 cras etenim vobis curia nostra patet.
 7 O utinam simili consensu Ecclesia ubique,
 8 ut nos, ac una voce Deum celebret.

ERASMO EBNERO APPARANTI CENAM POETIS.

E_4_23 v.1 Formicis gaudet formica, cicada cicadis :

10 defenditque chorum pium, sonantem
 11 vocem Evangelii, Deique laudes.
 12 Nec Cyclops metuendus ille nobis,
 13 nomen qui sibi sumit Eccianum,
 14 qui te, Christe, probris lacessit audax,
 15 obscaenaque libidine inquinatus
 16 potat cum Satyris, suisque scortis.
 17 Sed poena venient luendae et ipsi,
 18 ingentemque oculum eruet superbo
 19 hospes de misero choro piorum,
 20 contemptus velut "ouilis" ille quondam,
 21 sed mentem atque manus Deo regente.
 22 Tunc circum Satyri hispidi jacentem,
 23 gibbosusque Pelargus, et Cochleus,
 24 edent pro Domino irritas querelas,
 25 sed victor statuet tropaea Christus.
 26 Ergo nos alacres petamus, atque
 27 exspectemus opem a parente rerum,
 28 exaudit pia vota qui suorum.

ERASMO EBNERO WORMATIAE, ANNO 1541.

E_4_28 v.1 Qui laude ingenii studiisque excellis, Erasme,
 2 quique paras morum dexteritate decus,
 3 o mihi fraterno devinctum pectus amore,
 4 hisque meis oculis non mihi care minus.
 5 Mitte precor Vito, quae scripsimus, atque tuere
 6 nostrum, despectus sit licet ille, gregem,
 7 exemploque tui Musas ornato parentis,
 8 quo vir non alius justior ullus erat.
 9 Grata Deo pietas haec est, mihi crede, futura,
 10 qui referet factis praemia digna piis.

DOCTORI CAMITIANO LIPSIAE, ANNO 1541.

E_4_29 v.1 Saepe mihi puero dicit carissima mater,
 2 qui coluit magna cum pietate Deum.
 3 Esse scias mentem aeternam, quae cuncta creavit,
 4 et jussit certa singula lege regi.
 5 Nonne vides Solis distingui tempora cursu ?
 6 Perque vices noctem, restituique diem ?
 7 Qui nunc aestatem, propius cum venit ad Arcton,
 8 adducit, calida semina luce fovens :
 9 inde hiemem ducit spatiis velociter arctis,
 10 Virgine ab Icaria pronus ubi egit equos.
 11 Omnia quid memorem ? Cunctas res ordo gubernat
 12 inditus auctoris numine et arte Dei.
 13 Hic etiam in proprios volucres discedere nidos,
 14 et docuit tectum condere quanque sibi.
 15 Heu cur mens hominis leges oblita parentis
 16 errat, et est expers ordinis una sui :
 17 templa Deus nidos, nidos vult esse laresque,
 18 cum casta natos conjugue cuique suos.
 19 Sed quotus hos nidos, quo debet, curat amore ?

20 Qui tamen id faciet, praemia magna feret.

DE THEBE SAXONICA, ANNO 1541. IN REDITU EX ITINERE WORMATIENSI.

E_4_30 v.1 Parva jacet Thebe mediis in saltibus amnis,
 2 hic ubi Mysorum Mulda pererrat agros,
 3 parva sit ista licet, Thebis certare vetustis
 4 multiplici poterit commoditate tamen.
 5 Cadmeas olim fratrum discordia Thebas
 6 exitio, et regni dira cupido dedit :
 7 hic non ambitio civilia commovet arma,
 8 ingentes tantum quae comitatur opes.
 9 Tuta sine invidia paupertas degit amatque
 10 leges, ac aequo vivere jure docet.
 11 At luxu periit Thebe altera, proxima Nilum,
 12 pernicies morum quae gravis esse solet.
 13 Sed labor hic cogit frugales esse colonos,
 14 et desunt vitiis hoc alimenta loco.
 15 Non tamen hic victum prorsus negat invida terra,
 16 Labraca cum percis et tibi Mulda dabit.
 17 Adde Evangelii lucem, quae his fulget in oris,
 18 hoc nullum poterit grandius esse bonum.
 19 Felix cui dederit mediocria commoda vitae
 20 ipse Dei gnatus, notitiamque sui.

DE PAGO MELAN PROPE THEBAS SAXONICAS, ANNO 1541.

E_4_31 v.1 Qui modo dispersis veluti magalia tectis
 2 pagus Saxoniam dividit atque Mysos.
 3 Urbs Mediolanum quondam his amplissima terris
 4 arx Venetos contra, barbariemque fuit.
 5 Nunc nihil antiqui decoris, nisi nomen inane
 6 servat, et in saltu jam sine honore jacet.
 7 Omnia sunt hominum venturae obnoxia morti,
 8 et faciunt subitas tristia fata vices.

DE ECLIPSI LUNAE FUTURA DIE 12. MARTII, ANNO 1541.ELEGIA.

E_4_32 v.1 Cras ubi venturae sub prima crepuscula lucis,
 2 ibit ab Eois Lucifer ortus aquis :
 3 quisquis ad auroram Musis consurgis amicam,
 4 et linqvis placidi mollia strata tori ;
 5 suspicias pleno lucentem corpore Lunam,
 6 et mox naturae triste videbis opus.
 7 Namque reversurus nocturnis Phoebus ab undis,
 8 dum ducis astrorum sidere fertur Ovis.
 9 Occupat adversum Phoebe pulcherrima Libram,
 10 qua nitet octavae regia maesta plagae.
 11 Terra sed in medio solares impedit ignes,
 12 hinc Lunae involvit tristior umbra caput.
 13 Illa diu frustra caecis luctata tenebris
 14 in fortunato sub sene pressa gemit.
 15 Nequiquam timidus spectator Juppiter astat,

16 occidua caeli quem Leo parte tenet.
 17 At Phoebus injustis gaudens Mars impius armis
 18 it comes, et saevo fulminat ore minas.
 19 Quis duros adeo lapides in pectore gestat ?
 20 Quis secunda adeo vivere mente potest ?
 21 Cui non corda timor, cui non stupor occupet artus ?
 22 Haec quoties caeli tristia signa videt.
 23 Nam velut eventus signa est saepe ante secutus,
 24 sic haec effectu nemo carere putet.
 25 Legibus insidias veniens fallacior aetas,
 26 hei minus ad fraudes ingeniosa, struet.
 27 Et sceleri nomen praetexere discet honestum,
 28 Autolyctique sibi quaeret ab arte decus.
 29 Forsitan et facient de religione cothurnos,
 30 qui te fucato pectore, Christe, colunt.
 31 Dirum etiam plebi rursus portenditur omen,
 32 quae subito casus est habitura graves,
 33 verum haec cura Deo sit commendata, precandum est,
 34 ut tantas caeli mitiget ille minas.
 35 Illum adeo imploret justis Ecclesia votis,
 36 aerumnas melius nulla medela levat.

PAULO EBEPHO, PRAELECTURO DIALECTICEN A PHILIPPO SCRIPTAM.

E_4_33 v.1 In tenui quamvis noster labor esse feretur,
 2 quod pueris logices prima elementa damus :
 3 plus tamen his operis Ecclesia sacra juvatur,
 4 quam si de Pario marmore templa struas.
 5 Quare pertexi si vis exempla, libellum
 6 nunc vacuo mittas Paule diserte mihi.

Postridie Martini 1542.

EPIGRAMMA IN OPPIDUM ET ARCEM TORGENSEM.

E_4_34 v.1 Unde sit huic urbi, quaeres, Argelia nomen,
 2 quod de Phoebea Graecia luce trahit ?
 3 Ut reliquas stellas fulgenti lumine vincit,
 4 unus et adducit Sol, revehitque diem :
 5 sic superant formae vicinas luce puellae,
 6 quas urbs de Phoebi lumine dicta parit.
 7 Attamen haec major laus est, pietate quod inter
 8 notitiaque alias eminent ista Dei.
 9 Et qui Mysorum populis dant mitia jura,
 10 in ripa haec posita est Albidos aula Ducum.
 11 Haec tua gnate Dei defendat moenia dextra,
 12 semper et in populo hoc laus tua vera sonet.

GRATULATIO CONJUGII.

E_4_35 v.1 Conjugium vestrum sit felix numine Christi,
 2 inque Deo sit mens una, sit unus amor.

IN CHRONICON.

E_4_36 v.1 Ut noris quando sese patefecerit ipse,
2 spectari jussit saecula cuncta Deus.

PRECATIO IN PEREGRINATIONE.

E_4_37 v.1 Gnate Dei tibi perpetuum qui colligis agmen
2 in terris, pure quod tua dicta sonet :
3 nos rege et ad nidos clementer ducito nostros,
4 nulla salus nobis te nisi dante venit.
5 Et fac praecones laudum nos esse tuarum,
6 notitiam exstingui nec sine, Christe, tui.

Anno 1551. 19. Augusti.
EX CALLIMACHI AD APOLLINEMHYMNO.

E_4_38 v.1 Livor ait Phoebos, dicens clam talia in aurem :
2 non miror vatem, qui non effundere tantum
3 sermonis flumen possit, vim pontus aquarum
4 quam magnum voluit, pede sed detrusit Apollo
5 livorem dicens : Euphratis flumine magno
6 plus caeni semper, mixtae sordesque vehuntur.
7 Parva sed haurit apis Cereris de fontibus undam,
8 limpida de summo saliit quae vertice montis,
9 livor ubi infelix pereat, cogatur abire.

ANNO 1551. 19. AUGUSTI IN IOHANNIS SCHRAMMII NUPTIIS PRECATIO.

E_4_39 v.1 Te Deus ut castam mentem nos esse sciamus,
2 condemnat flammam lex tua sancta vagas.
3 Conjugii sancis sanctissima foedera casti,
4 idque tuum patrio more tueris opus.
5 Non vis obscaenae regnare libidinis aestus,
6 vis Ecclesiolam quamlibet esse domum.
7 Omnibus hoc toto decretum gentibus orbe
8 declaras poenas tristibus esse ratum.
9 Quis neget aut foedus tibi connubiale probari,
10 quod videt auxilio non nisi stare tuo ?
11 Felices memoresque Dei, propriaeque salutis,
12 qui thalami legem conjugialis amant.
13 His etiam nostris faveas pater optime sponsis
14 quem suadet pietas, da bona fata toro.
15 Castus ut es, casto sic sis Deus aequus amori,
16 fac tua sint sponsis gaudia firma novis.
17 Jesu noster amor votis ardentibus oro :
18 sint curae thalami jura salusque tibi.
19 Ut monitis, quali simus tibi foedere juncti,
20 conjugibus sit mens una, sit unus amor.

PROOEMIUM DEPOSITORIS WITEBERGENSIS, UT VOCANT,
IN RITU INITIATIONIS NOVORUM SCHOLASTICORUM.

E_4_40 v.1 Salvete spectatores humanissimi,
2 quibus est vetusti causa ritus cognita,
3 et quos honesta ratio movit officii
4 ut huc accederetis, non ineptias
5 ut hasce nostras cerneretis. Sed quia
6 vos juniorum studia decet cognoscere,
7 quorum exploratio sit in his spectaculis :
8 moremque fuisse Athenis similem legimus
9 qui nominatur Graeca voce "ereschelia",
10 novosque multa monetis hic Scholasticos,
11 et vota pro discentibus facitis pia.
12 Quod ergo adestis hic, debetur gratia
13 vobis, et ut patienter hos breves jocos
14 nunc audiatis, peto, non Momi scommata,
15 non afferro convicia huc scurrilia.

... MULIA DICUNT INTER SE THEOLOGI.

E_4_41 v.1 Sed gnate Dei te, Christe, toto pectore
2 oramus, ut nos spiritu regas tuos :
3 vitisque cum sis, palmites fac nos tuo :
4 idem piis votis mecum precemini.

1553.

AD HOSPITES HAMBURGENSES DIE 7. APRILIS.

E_4_42 v.1 Quae lux orta fuit nascenti prima Platoni,
2 cum medii veris tempore floret humus.
3 Cujus apes cunis sparserunt dulcia mella,
4 omen ut eloquii numina laeta darent.
5 Excipiat fauste vos hac Academia luce,
6 aeternique regat nos "logos", opto, patris.
7 Mellificaeque ut simus apes, fac, optime Christe,
8 alveolos vere nos facito esse tuos.
9 Assiduo gemitu, lacrimarum oramus, et undis,
10 te gnatum, ut doceas pectora nostra, Dei
11 te propter nobis servato dogmata vera,
12 te propter laudes assere, Christe, tuas.

PRECATIO IN CONVENTU COLLOQUII WORMATIENSIS.

E_4_43 v.1 Aeterni vita, effigies, splendorque parentis,
2 custodem nobis quem pater esse dedit.
3 Quique tibi semper mansurum colligis agmen
4 ex hac quam finxit mole paterna manus,
5 nos rege qui cupimus veros tibi reddere honores,
6 afflatuque move pectora nostra tuo.
7 Et nostras defende domos turbamque tenellam,
8 a te quae solo poscere novit opem.

PETRO VINCENTIO IN DIE NATALI PLATONIS

E_4_44 v.1 Dicitur ista dies tribuisse exordia lucis
 2 magne Plato eloquii, signaque mira tibi :
 3 in cunis examen apum, nam dulcia mella
 4 finxerat, hoc tamquam rore labella rigans.
 5 Si te Vincenti delectant mella Platonis,
 6 ad cenam venias mox Petre docte meam.

7. Idus Aprilis, Anno 1558.

CHRISTIANO PONTANO CANCELLARIO DUCUM SAXONIAE.

E_4_45 v.1 Nestoris eloquium vicit pater, atque Periclis.
 2 Sedarunt motus, qui populi atque Ducum.
 3 Asservit Christi causam sed lingua parentis,
 4 aeternas laudes exposuitque Dei.
 5 Non igitur venient nobis obliviam patris,
 6 virtutem ipsius saecula futura scient.
 7 Ipse patrociniū texit me saepe fideli,
 8 nunc commendatum me cupio esse tibi.

PETRO VINCENTIO FRATRI CARISSIMO POST CENAM.

E_4_46 v.1 Hoc etiam dictum est inter dulcissima mella,
 2 quae sapiens nobis tradidit ipse Plato.
 v.3 'esti geometrei theos aiei panta kubernôn'
 4 haec vox in cena nunc agitata mea est.
 5 Te vocem nobis hanc enarrare volebam,
 6 sed cras ut venias Petre diserte peto.

VII. Aprilis, Anno 1558.

EPITAPHIUM D. CASPARIS LINDEMAN.

E_4_47 v.1 Hic sita Lindemani sunt frigida Casparis ossa,
 2 qui medica clarus doctor in arte fuit.
 3 Et quoniam insigni doctrinae adjunxerat usum,
 4 Saxonici medicum contigit esse Ducis.
 5 Tantum illi peperere decus moresque fidesque,
 6 egregia quantum laudis ab arte tulit.
 7 Quare perpetuum tali ratione favorem,
 8 iudicio meruit Principis ille boni.
 9 Pectore non ficto numen caeleste colebat,
 10 te fontem medicae, Christe, professus opis.
 11 Ergo animae ipsius concedas, maxime Christe,
 12 in gremio ut vivat non moritura tuo.

IOANNI CRATONI TABULAS PRUTENICAS MITTENS. (2 vers en Grec)

E_4_48 Graece versus scripti.

IN HERODOTUM. (2 vers en Grec)

E_4_49 Graece versus scripti.

IN LIBRUM HYMNORUM CRATONI DONATUM. (2 vers en Grec)

E_4_50 Graece versus scripti.

SOMNIUM IN THEOLOGASTROS. (1 vers en Grec)

E_4_51 Graece versus scripti.

DE ERASMO ROTERODAMO. (2 vers en Grec)

E_4_52 Graece versus scripti.

EPITAPHIUM DUCIS IOANNIS SAXONIAE PRINCIPIS ELECTORIS ALIUD
AB EO QUOD SUPRA LIB. II. LEGITUR.

E_4_53 v.1 Condita Saxonici sunt hic Ducis ossa Joannis,
2 qui coluit vera cum pietate Deum.
3 Et donec patriae tenuit moderator habenas
4 tranquillae custos pacis, et auctor erat.
5 Quamquam Evangelium dum spargi sivit in orbem,
6 insidiis vidit seque suosque peti :
7 attamen has semper vicit ratione, nec umquam
8 bellica civili pertulit arma togae.
9 Inter felices animas, te, Christe, precamur,
10 ipsius manes ut tueare pios.

IN TUMULUM IO. ERNESTI DUCIS SAXONIAE, QUI INFANS DECESSIT ANNO 1535.

E_4_54 v.1 Quisquis ad hunc veniens tumulum subsiste Joannis
2 hic tegit Ernesti frigidus ossa lapis.
3 Saxonicae gentis Dux servantissimus aequi
4 Joannes genitor cui Fridericus erat.
5 Menstrua Luna semel nondum compleverat orbem,
6 cum vidit nati funera maesta parens.
7 Hunc ut suscipias faciunt pia vota parentes
8 innocuum gremio, maxime Christe, tuo.
9 Nam patris illa tui est, te testificante, voluntas,
10 ne pueri aeterna morte perire queant.
11 Hosque jubes ad te nullo prohibente venire,
12 dicis et his caeli regna patere tui.
13 Et quando vitae te fata volente peregit,
14 commendat fratres hac tibi voce suos :
15 respice qui vivunt germano sanguine fratres,
16 atque his, Christe, tuo numine dexter ades.
17 Felices ut eant in fortia facta parentis,
18 et teneant fausta patria sceptrata manu.

EPITAPHIUM DOMINAE MARGARITAE DUCISSAE SAXONIAE.

E_4_55 v.1 Saxoniae domino sata Margarita Ioanne,
 2 hoc tumulo placida morte soluta jacet.
 3 Vix dum puberibus tria lustra peregerat annis,
 4 hanc ubi supremo fata tulere die.
 5 Cum vernaret adhuc primisque accresceret annis,
 6 prima Dei verbum noscere cura fuit.
 7 Hinc teneros vitam duxit sine labe per annos,
 8 et generi mores grande fuere decus.
 9 Nondum connubium norat taedasque jugales,
 10 sed tantum Christo cura placere fuit.
 11 Huic igitur sanctis quae moribus ipsa petebat,
 12 caelestis vitae gaudia, Christe, dato.

DE DIVERSIS GENERIBUS DICENDI EX III. ILIADOS HOMERI.

(2 vers en Grec)

E_4_56 v.1 Fors et concilio Trojanae gentis in ipso
 2 Atriden, dominumque Ithacae conspeximus olim.
 3 Altior hic gradiens et toto vertice supra
 4 exstabat cunctos, sed erat venerandus Ulysses
 5 praecipue, medius postquam consederat, oris
 6 augusta specie, et vultus gravitate verenda.
 7 Quin etiam decus augebat facundia utrique,
 8 publica consilium cum res poscebat opemque.
 9 Verborum Atrides Menelaus parciore artis,
 10 rem numeris omnem stringens, acerque premebat,
 11 et linguam quamvis annis minor arte regebat.
 12 Ne qua ferretur longis ambagibus errans,
 13 dicentique aderat multo vis mixta lepore.
 14 At surgens procerum in medio consultus Ulysses
 15 sollicitus restare diu, fixisque solebat
 16 luminibus haerere solo, sceptrumque tenere
 17 immotum tacitus, regum gestamen eburnum.
 18 Interea sensumque animamque a corpore abesse
 19 indocili credas, sed ubi de pectore vocem
 20 imo promisset facundo largus ab ore,
 21 ut solet hiberno nix multo uberrima caelo
 22 sermo ruebat, et insolita mulcere coronam
 23 sensimus arte Ithacum, non qui contenderet illi
 24 quisquam erat : hoc adeo mirata est Troia quondam
 25 divinum decus eloquii, non corporis umbram.

ALITER ET BREVIUS.

E_4_57 v.1 Sed prudens postquam in medium processit Ulysses
 2 dicturus stetit immotus, terramque rigente
 3 lumine spectabat, sceptrum non parte sinistra
 4 non dextra versans, veluti sine mente tenebat,
 5 dixisses hominem furere et rationis egere.
 6 Ac simul ut vagam dabat imo e pectore vocem
 7 brumalique magis vi concita grandine verba

8 cunctos mortales illum superare videret.

LOCUS HOMERI EX ODYSS. 6.

(2 vers en Grec)

E_4_58 v.1 Pallas adest, vocemque refert, vultusque seniles
 2 Mentoris, et juvenem dictis compellat amicis.
 3 Non tibi consilium, non virtus deerit umquam
 4 Telemache, ipsa tibi mentem natura paternam
 5 insevit, patrem facundoque exprimis ore.
 6 Par animi tibi robur adest in rebus agendis,
 7 non fortuna tuos conatus improba fallat,
 8 non ingressus iter justis frustrabere votis,
 9 ardua deficerent vires, animusque parantem,
 10 te nisi finxissent talem materque paterque,
 11 rara tamen soboles aequat virtute parentes,
 12 plurima degenerat majorum moribus, atque
 13 vix ulli cumulant laudesque decusque parentum.

EURIPIDES IN PHOENISSIS.

(1 vers en Grec)

E_4_59 v.1 Nam veritatis est simplex oratio
 2 interpretemque non desiderat vafrum,
 3 sed ipsa per se viribus valet suis.
 4 Mala causa callidis opus habet pharmacis.

EX ORATIONE DEMOSTHENIS, 'PERI STEPHANOU'.

(1 vers en Grec)

E_4_60 v.1 Hi pia dum patriis arcent a finibus hostem
 2 pro tectis cives arma tulere suis.
 3 Invictisque animis ausi decernere ferro
 4 et conferre pedem, nec timuere mori.
 5 Servitio patriam premeret ne turpiter hostis
 6 cogeret et domitam tristia multa pati.
 7 Felices nunc in patria quorum ossa teguntur
 8 postquam ipsos divi sic voluere mori.
 9 Nulla adversa pati, nusquam peccare Deorum est
 10 Nemo hominum fati vim queat effugere.

IN CORNELII TACITI LIBELLUM
 DE MORIBUS GERMANORUM AD IOAN. LUTHERUM. (10 vers en Grec)

E_4_61 Graece versus scripti.

EPITAPHIUM IOAN. A MINGUITZ.

E_4_62 v.1 Hic tumulo placida defunctus morte Joannes,
 2 Minguitiae gentis gloria summa, cubat.
 3 Qui generis titulos auxit virtutis honore,

4 quam semper summum credidit esse decus.
 5 Ipsius in gravibus prudentia cognita rebus,
 6 et mens consilio plena, fideque fuit.
 7 Eloquio flexit magnorum pectora regum,
 8 artibus et cunctis floruit ille togae.
 9 Et pius ad patriae respexit commoda semper,
 10 atque auctor dubio tempore pacis erat.
 11 Quare difficiles aulae moderator habenas
 12 Saxonici rexit consiliumque Ducis.
 13 Ergo illam quamvis properantia fata tulerunt,
 14 virtutis durat gloria magna tamen.
 15 Tu quoque des illi caelestis, gaudia vitae,
 16 quae petiit votis, maxime Christe, piis.

EX HESIODO.

'tês the aretês idrôta theoi proparoithen ethêkan'

E_4_63 v.1 Virtutem voluere Dii sudore parari,
 2 longa via est ac ardua quae perducit ad illam,
 3 inque aditu primo longe est asperrima, sed cum
 4 veneris ad summum facilis jucundaque fiet.

TE EUSEBEIA.IOACHIMI CAMERARII.(12 vers en Grec)

E_4_64 Graece versus scripti.

PHILIPPUS MELANTHON VERTIT.

E_4_65 v.1 Quis misera te tractavit indignis modis ?
 2 Nam religionem cerno, quae olim floruit.
 3 Sed ecce saevus hanc leo et rapax lupus
 4 et ursus lacerarunt, o te miserrimam
 5 nemo ne te piorum adjuvit, o Dea ?
 6 Dic hospes ubi nam gentium sunt ulli pii ?
 7 An neminem pium terra ulli alit loco ?
 8 Paucos, eosque ut ipsa sum afflictos male.
 9 Sed antequam occidas medicos accersite,
 10 nam spiritum aegre ducis extremum modo.
 11 "Dea sum, nec emori possunt umquam Dii,
 12 levare sed arte medica possis haec mala ;
 13 medicorum turba me sic hospes perdidit.

EPITAPHIUM PETRI MOSELLANI LIPSIAE.

E_4_66 v.1 Conditus exiguo jacet hoc sub marmore Petrus,
 2 nobile cui nomen clara Mosella dedit.
 3 Attica quo primum hic audita interprete lingua est,
 4 cum docuit Graio Teutones ore loqui.
 5 Et late veterem linguae revocavit honorem
 6 nativumque illi reddidit arte decus.
 7 Ipsius eloquium vivo Cicerone probasset

8 in medio quondam Roma diserta foro.
 9 Magna etiam coluit pietate oracula Christi,
 10 et sanctis studiis consona vita fuit.
 11 Ipse suam vivus quod spe votisque petivit,
 12 pars sit ut aetherii da, bone Christe, chori.

ALIUD FILII SUI GEORGII.

E_4_67 v.1 Hic posuit nati maestus pater ossa Melanthon,
 2 utque animam serves te, bone Christe, rogat.
 3 Ille duos nondum totos compleverat annos,
 4 cum non matura morte peremptus obit.

IN TUMULUM CHILIANI METZLERI VRATISLAVIENSIS.

E_4_68 v.1 Hic jacet ac placida Chilianus morte quiescit,
 2 Metzlero juvenis de genitore satus.
 3 Pectore qui clarum referens vultuque parentem,
 4 fama sui generis summa futurus erat.
 5 Si non heu misero spoliatus flore juventae
 6 hic procul a patria mortuus esset humo.
 7 Hunc tu qui pueros caeli dignaris honore
 8 perpetuo tecum vivere, Christe, sinas.

FILIAE PRAEFECTI SAXONIAE.

E_4_69 v.1 Ipse jubes ad te pueros, o Christe, venire,
 2 atque hos perpetua morte perire negas.
 3 Hac spe Margaridos posuere huc ossa parentes
 4 nobilis ex Metia quae sata gente fuit.
 5 Et tibi qui gemitus audis ac vota piorum,
 6 commendant natam, maxime Christe, suam.

ORATIO DIOMEDIS AD REGEM EX NONO ILIADOS.

E_4_70 v.1 Fas sit Atrida mihi tua dicta refellere primum,
 2 quae modo inops animi fudisti incondita, perfer
 3 dicentem placide et nostro concede dolori,
 4 nam libertatem donat mihi contio fandi.
 5 Tune mihi Danaum tota spectante caterva
 6 objicis ignavum pectus foedumque timorem ?
 7 Probri hujus facio restes juvenesque senesque
 8 non superi cunctis regum te dotibus ornant.
 9 Sceptra dedere tibi, augustum et venerabile signum,
 10 non tamen est virtus animi decus, addita, majus.
 11 Imbellis ne adeo tibi turba videmur Achivi,
 12 ut turpem suadere fugam tot regibus ausis ?
 13 At si tantus amor patrium te retrahit Argos,
 14 perge licet tibi, nemo viam, vada caerula, naves
 15 intercludit, et hinc comites abducito inertes.
 16 Sunt quibus est pudor infectis discedere rebus,
 17 et certum est mecum Stheneleus si manserit unus,

18 durare et fato ruituram evertere Trojam.
19 Haud etenim Trojam ventum est sine numine divum.

IOCUS AD PAULUM EBERUM.

E_4_71 v.1 Missa Hamburgiaci tibi dicitur amphora zythi
2 quod celans solus, Paule, bibisse cupis.
3 Invites socios, vel quod Philoxenus optat,
4 opto tibi collum, ceu solet esse gruis.

EPITAPHIUM ELISABETHAE CONJUGIS I. AGRICOLAE ISLEBII IN URBE ARCTOA.

E_4_72 v.1 Clarus in hac Evangelium docet urbe Johannes,
2 cui patria Islebii nomen habere dedit.
3 Texit in hoc tumulo dilectae hic conjugis ossa,
4 sincera coluit quae pietate Deum.
5 Ac veluti nomen retulit, quod mater habebas
6 Baptistae felix Elisabetha tuum.
7 Sic imitata fidem, sic mores casta secuta est,
8 et mens ipsius templum erat, estque Dei.
9 Justifica se, Christe, fide tibi tradidit, et te
10 pro nobis statuit "luxa" dedisse patri.
11 Hac erecta fide tibi paruit alme creator,
12 totius et vitae, lex tua, norma fuit.
13 Semper et aerumnas victrix quas pertulit inter
14 laeta Deo laudes obtulit atque preces.

AD TURRIM TEMPLI IN OPPIDO MARIEBERG.

E_4_73 v.1 Augustus patriam cum Dux Elector haberet,
2 hanc urbem cujus condidit ante pater.
3 Hoc templum exstructum est, sonet hic ut maxime Christe
4 vox Evangelii tempus in omne tui.
5 Et sincera sonet, quam tradit, et unica, Christus
6 aeterno natus de genitore "logos".
7 Hic tibi gnate Dei doctrina collige coetum,
8 justifica cui sint corda renata fide.
9 Et fac templa Dei nos ut viventia simus,
10 aeternae vitae laetitiamque dato.
11 Da soboli nostrae pacem moresque gubernata,
12 et sint qui vera te pietate colant.
13 Argenti venis etiam da semina larga,
14 id quoque nam donum novimus esse tuum.

EPITAPHIUM IOHANNIS MINISTRI D. PHILIPPI.

E_4_74 v.1 Johannes patrii Nicri discessit ab undis,
2 huc accersitus voce, Philippe, tua.
3 Quem comes exilii juvit precibusque fideque,
4 nam vere gnato credidit ille Dei.
5 Ipsius hic Dominus sepelivit corpus inane,

6 vivit conspectu mens fruiturque Dei.
 Decessit 3. Aprilis, Anno 1553.

EPITAPHIUM CATHARINAE CONJUGIS PHILIPPI MELANTHONIS.

E_4_75 v.1 Proximus hic tumulus Catharinae contegit ossa,
 2 quae Crappo quondam consule nata fuit.
 3 Conjugio casto fuerat quae nupta Philippo,
 4 ex scriptis cujus nomina nota manent.
 5 Virtutes habuit donatas numine Christi,
 6 matronae Paulus quas docet esse decus.
 7 Hic absente viro sepelivit filia corpus,
 8 vivit conspectu mens fruiturque Dei.
 Obiit 11. Octob. Anno 1557.

 EX ANTIGONE SOPHOCLIS,
 UBI EXPONITUR DICTUM BIAN TIS 'ARCHA TON ANDRA DEIXEI',
 CITANTE ARISTOTELE IN V. 'ETHEKON', ALITER REDDITUM QUAM SUPRA LIB. III.

E_4_76 v.1 Non penitus ullius voluntas perspici
 2 potest, priusquam admotus ad Rem Publicam :
 3 Fungi magistratu atque imperiis coeperit.
 4 Ego, hunc virum pro nuntio esse pessimum,
 5 qui civitatem consilio regens suo,
 6 non dicere audet optimas sententias,
 7 tacensque veritatem dissimulat metu,
 8 et anteferre amicum patriae solet.
 9 Testor supremi numen immensum Jovis,
 10 si quid malum impendere patriae videro,
 11 me civibus daturum id esse libere,
 12 nullum mihi foedus erit cum patriae hostibus.
 13 Haec salva tuetur et salutem civium
 14 in hac amicos stante quaerant singuli,
 15 illam videre qui florentem, gaudeant.

 EPIGRAMMATA TRIUM STATUARUM
 AD STRYMONEM FLUVIUM POSITARUM CIVIBUS ATTICIS,
 QUI MEDOS REPRESSERANT EX AESCHINIS ORATIONE 'KATA KTESIPHONTOS'.

 PRIMAE STATUAE.

E_4_77 v.1 Hi virtute sua Medos ad Strymonis undas
 2 cogebant turpi vertere terga fuga.
 3 Et primi domuere hostes ferroque fameque,
 4 ut tegerent patriae moenia cara suae.

 ALTERIUS STATUTAE EPIGRAMMA.

5 Haec Ducibus grati posuerunt praemia cives,
 6 qui pia contra hostes arma tulere feros.
 7 Ut moneant seros mansura tropaea nepotes,
 8 pro patriis etiam ferre pericla focis.

 TERTIAE STATUAE EPIGRAMMA.

9 Cum Danai ad Trojam posuerunt castra, Menestheus

10 dux ibi Cecropia missus ab urbe fuit.
 11 Hoc aciem nemo melius disponere norat,
 12 si dubitas certus testis Homerus erit.
 13 Hanc etiam laudem sibi postera vendicat aetas,
 14 namque solent fortes Cecropidae esse duces.

DE CIVICA CORONA QUIBUS DARI SOLITA, EX EOSDEM AESCHINE.

15 His grati cives donarunt ferre coronas,
 16 pro rebus gestus praemia justa suis.
 17 Qui libertatem pulsus ex urbe tyrannis,
 18 et leges patriae restituere suae.

EX DEMOSTHENIS ORATIONE 'PERI STEPHANOU' EPITAPHIUM CIVIUM ATTICORUM.

E_4_78 v.1 Haec monumenta tegunt cives, qui fortiter arma
 2 pro patriis aris proque tulere focis.
 3 Nec cessere metu, nec vitam amittere curant,
 4 cum patriae auxilium pectora fida ferunt :
 5 et saevos reprimunt hostes, ne regna superba
 6 externae gentis Graecia serva ferat.
 7 Sed postquam vicit duri sors aspera fati,
 8 ipsorum patriae nunc tenet ossa sinus.
 9 Non falli eventus et semper habere secundos,
 10 divinae tantum sortis id esse scias.
 11 Nulla potest vitare hominum sapientia fatum,
 12 multus et humanis mentibus error inest.
 13 Fortunae vicibus natura obnoxia nostra est,
 14 nec vitare homines tristia fata queunt.

EX PHOCILIDE.

'mête ?? dikasês prin amphoin muthon akousês'

E_4_79 v.1 Nec nisi librato dirimat sententia litem,
 2 parte quid ex utraque queant, examine, causa.

EPITAPHIUM LACEDAEMONIORUM IN THERMOPYLIS EX LYCURGO.

E_4_80 v.1 Dic hospes Spartaee nos te vidisse jacentes,
 2 dum sanctis patriae legibus obsequimur.

TROPAEUM ATHENIENSIVM DE PUGNA MARATHONIA IBIDEM.

E_4_81 v.1 Attica delevit Medos Marathonis in agris,
 2 pubes, pro Graecis dum pia bella gerit.

EX ORATIONE DEMOSTHENIS DE CORRUPTELA IN LEGATIONE.

E_4_82 v.1 Publica non prorsus volat irrita fama per auras,
 2 namque est iudicii divini nuntia saepe.

AD JUSTUM MENIUM PHILIPPUS.

E_4_83 v.1 Quod natura mihi blaesam dedit invida linguam,
 2 agnosco vitium, non amo, Juste, meum.
 3 Cuique suam labem attribuit natura noverca,
 4 omnibus et sors est arte ferenda sua.
 5 Hoc ego malo tamen, quam quo tu, Juste, laboras,
 6 quin mala cum laudas carmina, nulla facis.

MENII RESPONSIO FACTA AB IP SO PHILIPPO.

E_4_84 v.1 Non mordere valent quemquam tua carmina blaese,
 2 nam desunt Mosis salque leposque tuis.

CLARISSIMO VIRO IOACHIMO BUSTIO DOCTORI.

E_4_85 v.1 Hunc tibi justitiae cultori dono libellum,
 2 qui te justitiae prima elementa docet.

IN ELEGIAS CHRISTOPHORI COPEHENI 1543.

E_4_86 v.1 Eloquium et numeros facilemque in carmine venam
 2 indidit humanis mentibus ipse Deus,
 3 auctorem nobis haec ut vestigia monstrent,
 4 et nostra in caelum vota precesque ferant.
 5 In populisque sonent laudes et dona parentis,
 6 praemia qui justis pro pietate dabit.
 7 Hic exempla etiam virtutum in carmine tradi,
 8 et normam qua sit vita regenda jubet.
 9 Tales materias celebret cum Musa Copeni,
 10 lectori gratam convenit esse pio.

AD MENSAM PRECATIO.

E_4_87 v.1 Quod sumus et tegimur, dulces quod carpimus escas,
 2 omnia credamus muneris esse Dei.
 3 Sufficit hic etenim vires alimentaque rebus,
 4 sustentat verbo cuncta creata suo.
 5 Mortales miseros, pecudes, armenta, volucres,
 6 implumem corvum vestit, alitque Deus.
 7 Ergo debetur quaedam reverentia mensae,
 8 ergo decet grata sumere mente dapes.
 9 Non trahat in praeceps caecum "boulimia" pectus,
 10 immemor ut dubitet solvere vota Deo.
 11 Sicut Centauri convivia barbara ducunt,
 12 ignari victum qui dedit esse Deum.
 13 Gustatura cibos solita est libare vetustas,
 14 qui mos a sanctis patribus ortus erat.
 15 Sic quoque nostra pios praemittant fercula coetus,
 16 a prece principium, de prece finis erit.

AD REVERENDUM SENEM DOCTOREM JUSTUM IONAM MENSE OCTOB. ANNO 1555.
 CUM REDITURUS ESSET PHILIPPUS WITEBERGAM EX INCLUTA URBE NORICA
 COMPOSITIS DE OSIANDRI DOGMATE DISSIDIIS.

E_4_88 v.1 Rex justus tenuit Solymorum mitia scepra,
 2 qui docuit veri numina nosse Dei.
 3 Viderat et sub aquis hominum genus omne perire,
 4 et lacrimis undas auxerat ipse suis.
 5 Et quinti saeculi tardos confecerat annos,
 6 de vero testis posset ut esse Deo.
 7 Hunc non raro senex Abram vicinus adibat,
 8 vallis Ebronaeae qui novus hospes erat :
 9 a seniore tamen didicit primordia mundi,
 10 quoque modo fuerit vox patefacta Dei.
 11 Quoque Dei fuerit coetus, mundique furores,
 12 ut tegat hunc inter dextera magna Dei.
 13 Natus et aeterno quis sit "logos" ille parente,
 14 qui solet esse pii duxque comesque gregis.
 15 Et carne indutus nostra qui tempore certo,
 16 fracturus saevi colla Draconis erat.
 17 Placataque ira rursus qui gaudia vitae,
 18 deleta nobis morte daturus erat.
 19 Sic tamen aeternus Pater hunc ut conditor orbis
 20 justifica agnosci jusserit ipse fide.
 21 Colloquia haec illi quando dulcissima miscent,
 22 saepe vident medios inter adesse "logon" :
 23 sic etiam decuit mala nos lenire senectae,
 24 et viva curas voce levare graves.
 25 Hac de doctrina multis collatio lucem
 26 afferret : quaedam longa senecta docet.
 27 Utilis aetati venienti noster ut esset
 28 consensus, regeret quem Deus, ipse "logos" ;
 29 sed nunc impediunt quae, constat, "erinnues", istos
 30 congressus, dulcis colloquiique vias.
 31 Non tamen impediunt gemitus et vota piorum,
 32 Gnate Dei coetus tu rege, Christe, tuos.
 33 Inque Deo facias nos unum simus ut omnes,
 34 nulla venit nobis te nisi dante salus.

AD INCLUTUM DOM. LUDOVICUM COMITEM AB EBERSTEIN, ET DOM. IN NEUGARTEN...

E_4_89 v.1 Hoc Encaenia laeta mense nono
 2 in pulchris Solymis agi quotannis
 3 mos est traditus, ut memor triumpho
 4 esset posteritas, phalange caesa
 5 quo "bdelugmata" dira Macabaeus
 6 delens, restituit pios honores,
 7 quos verus Deus unicus creator
 8 humani generis, docet, probatque,
 9 qui se voce sua, datoque gnato,
 10 ostendit, vetuitque lege, fingi
 11 cultus esse alios Dei, Deosque
 12 huic vero Solymi Deo potenti
 13 hoc pro munere gratias agebant,

14 hunc verum esse Deum Sione tota.
 15 Hunc servare suos pie canebant,
 16 orabantque suam tegi Siona.
 17 Nos Encaenia nostra cum vetustis
 18 grati nunc celebremus, atque nobis
 19 luce Evangelii recens reducta
 20 ex templis simulacra mentibusque
 21 pellentes reverenter invocemus
 22 Aeternumque Deum, Deique gnatum,
 23 et quos voce sua docet, probatque
 24 constanter, tribuamus ipsi honores,
 25 custodemque sui sciamus esse
 26 coetus hunc Dominum "logon" parenti
 27 Aeterni "chorion" sibi cruentum
 28 qui circumdedit, esset ut redemptor
 29 humani generis potensque 'Siloh'.
 30 Hunc, ut protegat et Siona nostram,
 31 votis assiduis precamur omnes.

DEMETRIO HOSPITI CONSTANTINOPOLITANO. (2 vers en Grec)

E_4_90 Graece versus scripti.

GNOME DE INVOCATIONE. (2 vers en Grec)

E_4_91 Graece versus scripti.

PSAL. CXII. BEATUS VIR QUI TIMET DOMINUM ETC.

E_4_92 v.1 Felix ille Deum metuit qui pectore toto,
 2 et non fucata religione colit.
 3 Et qui divinae legi parere studebit,
 4 et cui deliciae sunt bona jussa Dei.
 5 Fluctibus in mediis servabitur ille, paternas
 6 implebitque sua posteritate domos.
 7 Et quamquam variis jactetur saepe periclis,
 8 attamen hunc summus servat alitque pater.
 9 Hujus conatus facilis fortuna fovebit,
 10 provehet et dextro numine cuncta Deus.
 11 Illius aestivae superabunt horrea messes,
 12 et fruges amplo fenore reddet ager.
 13 Hunc pater ancipiti servabit tempore, justa
 14 causa patrociniio vincet ubique Dei.
 15 Non deerunt umquam dubiis solacia rebus,
 16 quae faciunt pectus firmitus esse viro.
 17 Lumina ceu tenebris apparet clara remotis,
 18 sic tristi inveniet tempore laetus opem.
 19 Vir bonus afflicto facilis succurrit amico
 20 et quacumque potest sedulitate juvat.
 21 Aeraque non aegre dat mutua ferre petenti,
 22 ac opibus large subvenit ille suis.
 23 Nec sibi divitias per fraudem aut quaerit honores,
 24 nec cuiquam injustas inicit ille manus.

25 Si quando exitium fortuna inimica minatur,
 26 illius semper vult meminisse Deus.
 27 Et quia se curae esse Deo confidere novit,
 28 non huic incutiet nuntia fama metum.
 29 Mens immota velut magno cum robore quercus,
 30 constat, et in Domino, spemque animumque locat.
 31 Sed qui contemnit caelestia jussa, peribit,
 32 nam subito veniet magna ruina malis.
 33 Vir quoque multa pius confert in pauperis usum,
 34 et fiet miseris portus et aura viris.
 35 Ille potest semper dubiis succurrere rebus,
 36 isque malis victus cedere nescit homo.
 37 Impius usque licet caelestia numina culpet,
 38 dicat et iratus jurgia multa Deo.
 39 Non impune diu tamen hoc erit, impia tandem
 40 turba graves poenas suppliciumque luet.

PSALMI PRIMI PARAPHRASIS.

E_4_93 v.1 Otia non animis segura pecunia confert,
 2 nec vitae tutus, credite, portus erit.
 3 Denique nemo suo vallum sibi Marte parare
 4 contra fortunae jura vicesque potest.
 5 Felix ille Deo quisquis Duce fidit, et hujus
 6 ambiguum vitae lege gubernat iter.
 7 Hunc pater in dubiis rebus tegit optimus, atque
 8 defensum in gremio gestat ubique suo.
 9 Utque nihil laedunt hiemis mala frigora palmam,
 10 illaque perpetui veris honore viret :
 11 sic etiam iste malis nescit succumbere victus
 12 durat, et in media vivere morte solet.

CONTIO CHRISTI EX PSALMO SECUNDO.

E_4_94 v.1 Quis furor est contra caelestes arma movere ?
 2 Successu impietas est caritura viri.
 3 In celsa tradit mihi regia sceptrum Sione,
 4 et mandata Deus dat nova ferre mihi.
 5 Namque, ait ipse Pater, gnatus mea summa voluptas,
 6 haeres jure mihi totius orbis erit.
 7 Hujus qui sequitur Regis victricia signa
 8 fortunae tutas rideat ille minas.
 9 Maximus ista pater gnatum mandata per orbem
 10 non vana in populis spargere voce jubet.
 11 Vos populi gnato patris date tura supremi,
 12 hoc quisquis fidit Principe salvus erit.

EPIGRAMMATUM REVERENDI VIRI PHILIPPI MELANTHONIS LIBER QUINTUS

STUDIO ET OPERA PETRI VINCENTII VRATISLA COLLECTUS ET RECENS EDITUS.

SUMMA DOCTRINA CHRISTIANAE AD PIAM JUVENTUTEM.

E_5_1 v.1 Haec pueri verae pietatis credite summa est,
 2 et meminisse Deum, et bonitati fidere patris,
 3 et casti mores, mentisque exempla renatae.
 4 Ille Deum metuit, magnam qui iudicis iram
 5 sentit, et illius horret facesque minasque,
 6 et se supplicium aeternum meruisse fatetur.
 7 Primus hic est gradus ad Christi caelestia regna
 8 sic vates Esaia canit, te maxime rerum
 9 conditor in pavido, et dejecto corde habitare,
 10 si pudeat peccasse, dolorque hic pectora scindat.
 11 Non simulentur ait lacrimae, gemitusque Johelus,
 12 justa Dei non ante umquam placabitur irae
 13 quam tibi displiceant vitae commissa prioris
 14 et vere doleas rerum offendisse parentem.
 15 O vis quanta irae est, immensa potentia cum se
 16 exerit atque sui contemptum ulciscitur, inque
 17 infirmas animas ingenti numine saevit.
 18 Paeniteat vitae Petrus, inquit, turpiter actae,
 19 haec est ad veniam nobis via prima petenda,
 20 dum vives numquam sanctum deponere timorem,
 21 saepe Deique minae, caelestia fulmina, menti
 22 terrorem incutiant pectus frangantque superbum.
 23 Sed tamen interea mentem fiducia semper
 24 erigat, atque metum quaedam solacia rursus,
 25 luctando superent de Christo prodita nobis
 26 et peccata tibi per Christum crede remitti,
 27 ingentemque iram placari numinis, et si
 28 spem veniae mens aegra, gravique absterrita mole,
 29 et variis scelerum formis dubitet retinere.
 30 Tu confide tamen : gratis ignoscere nobis
 31 decrevit Pater et nostrum demisit in orbem,
 32 ut peccatores servaret credite, gnatum.
 33 Non nostris tribuit benefactis munera tanta,
 34 unica pro nobis mactata est victima Christus.
 35 Hoc Evangelium Romanos Paule docebas,
 36 nostra nihil benefacta queunt nos justificare.
 37 Justitia haec demum est uni confidere Christo,
 38 quod tibi placarit Patrem, veniamque rogarit
 39 ille unctus digitis patris unus cuncta sacerdos
 40 impetrat, et numquam sunt illius irrita vota.

SENTENTIAE SALOMONIS EX PRIMO CAPITE.

E_5_2 v.1 Pauca ego sum vobis morum praecepta daturus,
 2 spiritus e caelo prodidit illa Dei.
 3 Et qua sit Deus exponam pietate colendus,
 4 et probet erga homines qualia facta Deus,
 5 sed qui non metuit caelestia numina vere,
 6 ridebit monitus impius ille meos.
 7 Est vere metuisse Deum sapientia prima,
 8 hunc metue evenient cuncta secunda tibi.
 9 Deinde patrem colito, monitusque audito paternos,
 10 et facias matris jussa verenda tuae.
 11 Namque probos pueros velut ornant torque parentes,
 12 sic illos cumulat summus honore pater.
 13 Principio hoc etiam est aetas incauta monenda,
 14 praeceptum trado non leve, jussa Dei.
 15 Parva pii pars sunt hominum, pars maxima contra
 16 quam numquam possis enumerare, mali.
 17 Rem quibus atque decus scelere est cumulare, voluptas,
 18 non illos terret vindicis ira Dei.
 19 Et plerumque malis fortuna indulget amica,
 20 non favet illa diu, sed favet illa tamen.
 21 Ergo ne numero juvenis moveare caveto,
 22 ut quae turba probet tu facienda putes.
 23 Non habet impietas successus credite longos,
 24 justaque pro factis poena venire solet.
 25 Hei mihi, cur parent tam pauci vera monenti,
 26 nec tangunt monitus ferrea corda mei ?
 27 Verum haec destituet cum vos fortuna vicissim,
 28 non tanget summum vestra querela patrem.
 29 Ne dubitate venit pro factis poena luenda,
 30 justa Dei vanas non habet ira minas.
 31 Sed quia paulisper fortuna secunda malorum est,
 32 et tristi vultu respicit illa pios.
 33 Falleris et regere haec nullum mortalia numen
 34 credis, et impune cuncta licere tibi.
 35 His fortuna nihil mea qui praecepta sequuntur,
 36 vel cum conatur laedere, saeva nocet.

CAPUT II.

E_5_3 v.1 Si fieri cupitis sapientes pectore toto,
 2 vos pueri, ut doceat, saepe rogate Deum.
 3 Illa etenim demum vera est sapientia, si qua est
 4 de caelo summi prodita ab ore patris.
 5 Sic bonitas immensa Dei, sic ira videri
 6 ostendet vobis cum Deus ipse, potest.
 7 Ille gubernabit sancto tua corda pavore,
 8 caelestesque dabit posse timere minas.
 9 Eriget ille etiam ac faciat sperare timentem,
 10 tu modo ne dubites poscere semper opem.
 11 Hoc sapere est, ac nosse Deum, si rite timebis
 12 fidere et illius si bonitate scies.
 13 Ille iter incertum vitae moderabitur, atque
 14 muniet adversus cuncta pericla pios.

15 Consilium semper dat rectum posse videre,
 16 semper successum consiliumque juvat.
 17 Multa jubet perferre pios, verum ipse secundos
 18 eventus dubii temporis esse facit.
 19 Et ne te sceleratorum contagia laedant,
 20 non opis humana est effugere illa, cavet.
 21 Impia ne mentem accendant exempla malorum
 22 doctrinae noceant neve venena tibi.
 23 En ne vesano scorti capiaris amore,
 24 scortantes perdet vindicis ira Dei.
 25 Hos monitus audite, pios bona numina servant,
 26 at justas poenas impia turba dabit.

CAPUT III.

E_5_4 v.1 Ne te parve puer capiant oblivia legis,
 2 quae clara summi prodita voce Dei est.
 3 Verum insculpe tuo cordi sanctissima jussa,
 4 sit mens divina scripta tabella manu.
 5 Sic tibi contingent longissima tempora vitae
 6 placatusque dabit maxima dona Deus.
 7 In dubiis numquam deerit prudentia rebus,
 8 et Deus eventus, consiliumque reget.
 9 Esse Deo curae te credito pectore toto,
 10 auxilium vitae, posce modo, ille feret.
 11 Auro pars hominum fidunt, prudentia multis
 12 securos animos tollere vana solet.
 13 Sed tu consiliis ne fide tuis, Deus illa
 14 arbiter et vindex irrita saepe facit.
 15 Quicquid ages, petito Deus ut te rite gubernet,
 16 semper enim gressus sic regit ille tuos.
 17 Decipiet fallax tua te sapientia, numquam
 18 ingenii fidas viribus ipse tui.
 19 Et non eveniet quicquid promiserit illa,
 20 noxia sunt et quae profore saepe putes.
 21 Quid fieri tantum properabas Cora sacerdos,
 22 attulit exitium nam tibi raptus honos.
 23 Quae jussit Deus, haec tantum faciasque, probesque,
 24 qui timet haec, fugiat cetera cuncta procul.
 25 Felix ille Dei qui formidaverit iram,
 26 non fortuna piis saeva nocere potest.
 27 Primitias frugum genuit quas fertilis annus,
 28 munera caelesti debita redde patri.
 29 Et donum esse Dei fatearis pectore grato,
 30 semina quod magno faenore reddit ager,
 31 ne seges eludet messem fallacibus herbis,
 32 ipse ope caelesti semina laeta fovet.
 33 Has tantum laudes sibi dici poscit ad aras,
 34 gratior hic honos est, quam data tura Deo.
 35 Partem aliquam tamen et promas in pauperis usus,
 36 certa Sacerdotum pars quoque messis erit.
 37 Sic tibi divino vindemia munere fundet,
 38 uvida de pleno fervida musta lacu.
 39 Si mihi parueris, et vincent horrea messes,
 40 et seges in pingui luxuriabit humo,
 etc.

CANTICA CANTICORUM, CAPUT I.

E_5_5 v.1 Crebra tuae Dominus noster dat basia genti,
 2 et figit labris oscula blanda suis.
 3 Namque tuus favor est nobis jucundior unus
 4 quam bona quae curas pellere vina solent.
 5 Cum nobis verbum donaveris, undique fama
 6 nominis ingentes spargitur ipsa tui.
 7 Nunc igitur multi verbi recreantur odore,
 8 et norunt multi te pater, atque colunt.
 9 Accurrunt et te cupiunt novisse puellae,
 10 haec verbi fragrans agmina ducit odor,
 11 tu tamen infirmae praebe solacia genti,
 12 currentesque juva numine quaeso tuo.
 13 Esse vides nobis subeunda pericula mille,
 14 illa nisi duce te vincere nemo potest.
 15 Ecce autem in thalamos securam me modo ducit
 16 rex meus et nova nunc gaudia pectus habet.
 17 Hic nova dat miserae rursus solacia genti,
 18 et medios hostes inter et arma tegit.
 19 Haec te quisquis amat benefacta agnoscere grata,
 20 et laudare solet pectore summe pater.
 21 Nigra equidem videor sicut tentoria Cedar,
 22 incultis Arabes quae posuere locis.
 23 Et quoniam exercent me multa pericula spernor,
 24 fortunae species est odiosa meae.
 25 Sum formosa tamen pulchrae Salomonis ut arces
 26 in celsa quas nunc ille Sione struit.

EX NOVO TESTAMENTO. PRIMUM CAPUT AD TIMOTH.

E_5_6 v.1 Exoptat Paulus tibi summo a patre salutem,
 2 non cassis votis candide Timothee.
 3 Injunxi mandata tibi puer optime, quando
 4 ex Epheso Macedum terra petenda fuit.
 5 Ut nostra studeas arcere a plebe magistros,
 6 quos famae cogit falsa docere sitis.
 7 Haec autem facienda piis praecepit Iesus,
 8 acribus haec studiis jusserat ille peti.
 9 Ut nihil addubites curae nos esse parenti,
 10 qui vocat hunc vero pectore, sentit opem.
 11 Ille luet justas poenas, qui numen Iesu
 12 non colit, et miseros velle juvare negat.
 13 Illa sibi demum mens est bene conscia, fidit
 14 quae bonitate Dei, quae metuitque minas.
 15 Proxima sed virtus, homines colere, atque juvare est,
 16 et Christum castis moribus exprimere.
 17 Hunc quicumque scopum non attigit optime gnate,
 18 nil praeter nugae ille docere potest.
 19 Ille Deum nostris oculis non monstrat, et esse
 20 in caelo nobis pernegat ille patrem.
 21 Et miseris animis solacia nulla relinquit,
 22 corda Dei verbo non levat ille malis.

23 Non vires contra Satanam, non arma ministrat,
 24 denique ei totus fabula Christus erit.
 25 A Christo revocat mentes et fingere mores,
 26 viribus humanis id satis esse docet.
 27 Ergo urget legem et servilia munia poscit,
 28 non onus hoc Christi mentio grata levat.
 29 Et tamquam faciem radiantem Mose tegebat,
 30 nec potuit lucem turba videre Dei.
 31 Ille etiam infirmis oculis te Mose tuetur,
 32 atque Deum tecta lege videre nequit.
 33 Non ego lege volo male libera pectora solvi,
 34 ista feras mentes indomitasque regit.
 35 Et jubeo sanctam legem, sed rite doceri,
 36 somnia, non legem plurima turba, docet.
 37 Lege rudes animos caelestia assuescere jussit
 38 servitio et flecti ferrea corda Deus.
 39 Dum melior mentes afflarit Spiritus ille,
 40 non dubiaque facit cernere luce Deum.
 41 Nonne minas audis et magnae fulmina vocis
 42 de Sina intentat quae tibi rupe necem ?
 43 Irrita crede ferent non haec oracula venti,
 44 non hinc parvus apex, aut breve iota perit.
 45 Utque Deus vituli cultores perdidit olim,
 46 et turbam infidam protinus igne necat :
 47 sic vitiis etiam nostris irascitur, atque
 48 frenari mentes lege metuque jubet.
 49 Lascivae Deus haec injecit vincula carni,
 50 deprimat ut tristi colla superba jugo.
 51 Addidit aerumnas generis mala plurima nostri,
 52 custodesque istos carceris esse dedit.
 53 At quibus incusso monstrat delicta pavore,
 54 et lex in quassa vulnera mente facit.
 55 Talibus ex Evangelio medicina petenda est,
 56 admovet his medicam Christus et ipse manum.
 57 Condonat culpam et solacia multa malorum,
 58 aequae suo effundit gaudia vera sinu.
 59 Spiritus ille etiam patris delapsus ab ore,
 60 induit atque agitatur numine corda novo.
 61 Utque solet teneros oculos munire viator,
 62 a patre nos summo sic docet ille regi.
 63 Languentesque animos nostros invitat, ut ausint
 64 sperare in mediis numen adesse malis.
 65 Et Veneris sedat flammam, iramque furentem
 66 spiritus, et sancto corda pudore regit.
 67 Nulla puer mentem infirmam peccata retardent,
 68 ne veniam speret vel petere ausit opem.
 69 Erigat ut peccatores ac servet Iesus,
 70 e patris in terras venerat ille sinu.
 71 Meque suae fecit specimen bonitatis, ut aegris
 72 adderet exemplo spemque animumque meo.
 73 Inscius impura quamvis convicia lingua
 74 dixissem in Christi dogmata vera boni.
 75 Cultoresque Dei ferro jugulare solerem,
 76 et gererem contra non plus arma Deum.

EX SECUNDO CAPITE.

E_5_7 v.1 Non animo placido tolerare aut pectore forti,
 2 adversos casus impia turba potest.
 3 Jam queritur non esse Deo mortalia curae,
 4 atque hominum audiri vota precesque negat.
 5 Jam non digna bonos stomachatur ferre, patique
 6 et non virtuti praemia justa dari.
 7 Non etiam aegrotam spe mentem sublevat, et non
 8 auxilium miseris numina ferre putat.
 9 Fessa labore fugae longinquae Hebraea fremebat
 10 gens in Idumaeis talia saepe jugis.
 11 At vos et puras ad caelum tendere palmas
 12 vultis, et adversis quaerere rebus opem.
 13 Namque malis nimium indulgens fortuna minatur,
 14 exitium populo triste paratque Dei.

PRIMUM CAPUT EPISTOLAE AD COLOSSENSIS.

E_5_8 v.1 Exoptat Paulus vobis quicumque Colossis,
 2 mente pia Christum colitis, pacem atque salutem :
 3 o ego quas dicam grates tibi maxime rerum
 4 conditor immensum quia late spargis in orbem
 5 nostri Evangelii demissa oracula caelo.
 6 Doctrinaeque tuae parvis das ferre Colossis
 7 munera ut in clara possint te luce videre,
 8 et metuant vitiis te nostris triste minantem
 9 supplicium et bonitate tua confidere discant.
 10 Et Christi meritis placatum diligere ausint,
 11 defendique regique tuo se numine credant,
 12 et certam vitae melioris concipiant spem,
 13 et casto sibi quisque alios complexus amore,
 14 omnibus officiis liget : et quae cetera Epaphras
 15 ille meus docuit, sed tu pater optime rerum
 16 aspices, et adhuc infirmas provehe vires,
 17 et teneris concede animis adolescere, quaeso.
 18 O pater et parvos caelesti ope perge fovere
 19 segniaque accendas divino numine corda,
 20 ut discant oculos in te defigere mentis,
 21 et magni assuescant propius vim cernere amoris.
 22 Quo nos qui colimus Christum complectere, et esse
 23 nos curae tibi perspiciant, certentque vicissim
 24 jam mores tibi castos, atque reponere facta
 25 digna Evangelio, atque aliquas referant tibi grates,
 26 contemnantque minas ingenti pectore mundi,
 27 et sperent dextra defendi posse paterna,
 28 sic Evangelii surgat seges aurea nostri,
 etc.

IOCUS NASONIS IN IMPORTUNUM JANUAE PULSATOREM.

E_5_9 v.1 Forte domi solus quondam dum Naso sederet
 2 intentus studiis, carminibusque suis.
 3 Paelignus gelido veniens a rure colonus,

4 ardua divini limina vatis adit.
 5 Utque erat agrestis, strepitu ferit ostia magno,
 6 et tacito properans increpat ore moras.
 7 Nescio quid talem vatem sit, et inter asellum,
 8 respondit breviter Naso Poeta, fores.

AD REGEM POETICUM IN CONVIVIO.

E_5_10A v.1 Vendunt carmina ceteri poetae,
 2 et mercede suum locant laborem,
 3 et prostare suas jubent Camenas
 4 pro paucis obolisve, nummulisve.
 5 Nos gratis celebrare te solemus.
 6 Nostrum ergo officium tibi probari
 7 aequum est, quisquis enim nihil reposit
 8 vera Encomia dicere est putandus.

ALIUD AD EUNDEM.

E_5_10B v.1 O princeps hederam tibi sequacem
 2 nos contexuimus, piumque munus
 3 frondentem pueri damus coronam.
 4 Tantum barbara nulla te tiara
 5 tantum Causia nulla te decebit
 6 quantum te virides decent corymbi.
 7 Vatum convenit haec corona Regi,
 8 Musae namque hedera solent piorum
 9 vatum cingere tempora albicante.
 10 Grato pectore parva dona sume,
 11 quae nos officiosa turba tamquam
 12 divis debita tura dedicamus.

PRECATIO PRO REGNO POETICO

E_5_11 v.1 Vera fides, Deus, est Regum te sceptrata tueri,
 2 et quoddam numen Regibus esse datum.
 3 Ergo precor faveas regnis puerilibus istis,
 4 namque etiam pueri sunt tua cura Pater.

IN LECTIONEM LIVII.

E_5_12 v.1 Si quos larga juvat Livii facundia, et ingens
 2 copia quae Cornu vicerit Ida tuum :
 3 huc agite atque aedes studiosi visite nostras
 4 Sidonii relegam maxima facta ducis.

IN CIC. DE ORATORE LIBROS.

E_5_13 v.1 Dicendi Crassus divinas explicat artes,
 2 cum rusticatur Tusculi.
 3 Vicerit iste senem facundae Nestora linguae,

4 sermonis elegantia.
 5 Quem si forte libet propius cognoscere adeste,
 6 nos proponemus candidè.

IN PHILIPPICAS DEMOSTH.

E_5_14 v.1 Intentet Macedum Regi quae fulmina rhetor
 2 Atticus, huc venias si modo nosse velis.

IN OFFICIA CICERONIS.

E_5_15 v.1 Tullii nos hodie optimum libellum,
 2 qui pectus tenerum rudemque linguam
 3 divini expolit arte, praelegemus.
 4 Virtutis tibi monstrat eminentem
 5 arcem Tullius, atque firmiorem
 6 portum, quem feriant Noti procaces,
 7 Eurique, Boreaeque, saevientes
 8 frustra, quique minas nihil moretur
 9 Fortunae, et placidam tibi quietem
 10 et mentem pariat sereniorem.

IN DEMOSTHEN.

E_5_16 v.1 Enarrare, labore tot dierum
 2 lassatus nequeo forense bellum
 3 facundus quod in Attica urbe gessit
 4 rhetor, totius ille contionis
 5 dum mentes traheretque, flecteretque
 6 iratus, hodie otium mihi oro
 7 concedi breve feriasque justas.

SIGNIFICATIO FERIARUM.

E_5_17 v.1 Tempestiva juvant operosas otia Musas.
 2 Martini Ferias sit mihi fas agere.

IN HOMERI LECTIONEM.

E_5_18A v.1 Contio ubi reiiit templo dimissa, legemus
 2 Iliacum in nostris carmen, adeste, scholis.

ALITER.

E_5_18B v.1 E sacro postquam rediit pia contio templo,
 2 enarrabo senis carmina Maeonida.

ALITER.

E_5_18C v.1 Hectoris exponam vobis pia jussa, precesque,
 2 e templo postquam contio missa redit.

IN VITUPERATIONEM MERCATURAE.

E_5_19 v.1 Huc ades auditor, Joachimi contio nobis
2 caeca Propolarum furta, dolosque dabit.

IN AESOPUM EPIGRAMMA EBNERO SCRIPTUM.

E_5_20 v.1 Nomine quae sophiae se vendit turba superbo
2 ore sonant tragico somnia ridicule.
3 Ecce jocos Phrygius dum condit feria, punctum
4 omne tulit miscens dulcibus utilia.
5 Si Phrygium dicis divinum carmen Erasme,
6 moribus et lingua tum mage cultus eris
7 Phaeacios alius forsitan laudaverit hortos,
8 Hic mihi fragrantem Phryx olet ecce rosas.
9 Moribus humanis quam prosit tincta lepore
10 fabula si nescis Phryx tibi testis erit.

IN IMAGINEM JUSTINIANI.

E_5_21 v.1 Dextra tenet gladium, servat manus altera libram
2 signa decent Reges scilicet illa bonos.
3 Illa quidem intentat sceleratis civibus arma,
4 et terret stricto dextra mucrone malos.
5 Expendit justo prius haec examine causas,
6 quam nudata sinat colla ferire rei.

IN PRAEDICTIONES ASTROLOGICAS.

E_5_22 v.1 Irrita crede mihi non sunt praesagia vatum,
2 nec dubias fati cernimus esse minas.
3 Quare cum prosit casus praescire futuros,
4 haec legito et monitis afficiare Dei.
5 Qui sapit ille animum fortunae praeparat omni,
6 praevisumque potest arte levare malum.

AD MILICHIMUM.

E_5_23A v.1 Sidera dum claro spectas labentia caelo,
2 et signas oculis lumina nota tuis.
3 Vere aliquam mentem rebus quae cuncta gubernat,
4 et quae nostra videt facta, praeesse scias.

DE ORTU ET OCCASU SIDERUM SECUNDUM POETAS.

E_5_23B v.1 Mane vehit supra terram tibi cosmicus ortus
2 sidera, sed Phoebi lumine tecta latent.
3 Mane dat Heliacus quaedam subvecta videre
4 astra, sed Achronicus nocte videnda trahit.

MILICHIO.

E_5_23C v.1 Haec tibi, Milichi, prognostica dono, precorque
2 mitiget ut vobis aspera fata Deus.

EIDEM UT LOCUM DE FATO IN PHYSICIS NON FATIS COMMODE SCRIPTUM REMITTAT
3 Quas dedimus chartas de fato quaeso remitte,
4 non scriptas fato docte Jacobe bono.
5 Ad limam revocanda mihi sunt ista, sed opto
6 ut fiant operi mollia fata meo.

ALIUD AD EUNDEM, QUOD DELECTETUR DOCTRINA PHYSICES.

E_5_23D v.1 Mitte mihi Physicen, aliud nil scribere possum,
2 tu licet errorem mentis id esse putes.
3 Non me delirum dici credique verebor,
4 Democriti similis forsitan error erat.
5 Et velut Hippocrates curari hoc noluit arte,
6 hunc demi morbum sic ego nolo mihi,

ECLIPSIUM SOLIS ET LUNAE,

JAM OLIM CONSPECTARUM DESCRIPTIONES ALIQUOT EODEM PHILIPPO AUCTORE.
ECLIPSIS SOLIS ANNI 1532. DIE 30 APRILIS IN MERIDIE.

E_5_24A v.1 Cras ubi labetur medio Sol arduus orbe,
2 infausta fratrem Cynthia nocte teget
3 nec vos o juvenes caelestia spernite signa,
4 nec superum vanas esse putate minas
5 quas autem eclipsis clades denuntiet ista,
6 hic typus ex aliqua parte monere potest.
7 Ecce subit tenebras Astraeae in sidere Phoebus,
8 et comites Martem Mercuriumque trahet.
9 Legibus hi sacris quas diva Astraea tuetur,
10 cum male sint positi maxima damna dabunt.
11 Vos tamen a Christo votis exposcite pacem,
12 ille pericla unus pellere cuncta potest.

ECLIPSIS LUNAE ANNO 1533 : DIE 4 AUGUSTI.

E_5_24B v.1 Nox ubi roriferas terris induxerit umbras,
2 actus et his fuerit Sole cadente dies.
3 Insectura teget ferrugine Delia vultus,
4 aethereo fratris lumina cassa sui.
5 Ac velut aeternas mundo factura tenebras
6 incutiet pavidis mentibus ipsa metum.
7 Fallor ? An irati portendit numinis iram ?
8 Ne superum vanas esse putate minas,
9 non magis his annis metuendum vidimus ullum
10 prodigium, veri sidera si quid habent.
11 Infaustus tenebras spectat Saturnus ab ortu,
12 et tacita populos fraude movere parat.
13 Saevus ab Euro noto Mavors te Cynthia terret,
14 injustisque armis impia regna petit.

15 Paene fuit similis fatali eclipsis in anno,
 16 quo misera cecidit rustica caede cohors,
 17 nos igitur moniti signis orare jubemur,
 18 fiat ut irati mitior ira Dei.

ECLIPSIS SOLIS, ANNO 1534, DIE 14 JANUARIII.

E_5_24C v.1 Eventus quod habent tardos caelestia signa,
 2 non ideo vanas esse putate minas,
 3 impious hic vulgi furor est contemnere fata,
 4 impietas poenam verum habet ista gravem
 5 ante canunt vobis venturos numina casus,
 6 et laevas mentes saepe monere volunt.
 7 Admoniti rursus superum flectamus ut iram
 8 et fiant nostra mitia fata prece.
 9 Sed sunt heu nimium surdae mortalibus aures,
 10 non ullae terrent pectora dura minae.
 11 Quare iterum saevas portendunt sidera clades,
 12 cras ubi Sol medio traxerit orbe diem.
 13 Aetheriis tunc vecta plagis non omine fausto,
 14 obscura Solem Cynthia nocte teget.
 15 Crede mihi accelerant jam non constantia fata,
 16 eventus faciles sed dato, Christe, precor.

ECLIPSIS LUNAE, ANNO 1534, DIE 29. JANUARIII.

E_5_24D v.1 Postquam hodie Phoebus fuerit dilapsus in undas,
 2 sudantesque trahet sub freta fessus equos.
 3 Lunaque consurget per opaca crepuscula noctis,
 4 aethereas inter conspicienda plagas.
 5 Hujus ubi caelo labetur poena supremo
 6 umbra, tenet nitidum sanguinolenta caput.
 7 Ingentes motus populorum et bella minatur,
 8 hanc prope Gradivi noxia stella comes.
 9 Non procul Hesperio Saturnus cardine miscet,
 10 in populis fraudes in populisque neces,
 11 Jam toties hominum caelestia numina mentes,
 12 irrita nec possunt signa tot esse, monent.
 13 Horrendis nuper tremuerunt motibus Alpes,
 14 et ripam sensit Rhenus utrumque quati.
 15 Nos igitur summi placemus numinis iram,
 16 ut fiant nostra mitia fata prece.

DE ILLUSTRISSIMO PRINCIPE AC DOMINO D. IOHANNE FRIDERICO DUCE SAXONIAE ELECTORE ETC.
 MORTUO DIE TERTIO MARTII, ANNO CHRISTI 1554.
 AETATIS VERO QUINQUAGESIMO PRIMO.

E_5_25 v.1 Saxonici Ducis haec celebrati herois imago est,
 2 cui clarum nomen Jan Fridericus erat.
 3 Qui pia doctrina curavit semina spargi,
 4 qua videt Arctoum Saxonis ora laterus.
 5 Justificaque fide capiens tua munera, Christe,
 6 sincera coluit cum pietate Deum.

7 Sic etiam patriam justo moderamine rexit,
 8 exemplum ut possit Principis esse boni.
 9 Et quamquam bello cessit tibi Carole moto,
 10 induerat pietas attamen arma Duci,
 11 ergo Deus praesens eventus leniit ipsi,
 12 ac inter texit mille pericla virum.
 13 Majoremque tulit fidei constantia laudem,
 14 quam poterat victrix dextera ferre Ducis.
 15 Ut Daniel captus patriae plus profuit exsul,
 16 quam si gessisset bella cruenta domi,
 17 hic etiam postquam Christi bonitate reductus
 18 ad patriae rediit limina sacra suae.
 19 Voce sua pacis fuit auctor, debita tantis
 20 pro meritis ipsi gratia semper erit.
 21 At nunc ornatus patriae caelestis honore,
 22 colloquio fruitur, maxime Christe, tuo.
 23 Summe Deus tu das solus felicia regna,
 24 Saxonicos igitur protege quaeso Duces.

DE ILLUSTRISSIMO PRINCIPE AC DOMINA SIBYLLA,
 CONJUGE DUCIS SAXONIAE IOHAN. FRIDERICI ELECTORIS ETC.
 NATA EX ILLUSTRISSIMA FAMILIA IULIACENSIVM ET CLEVENSIUM ETC.
 MORTUA DIE 21 FEB. ANNO CHRISTI 1554. II. DIE ANTE MORTEM MARITI.

E_5_26 v.1 Edita Juliaca fuerat quae stirpe Sibylla,
 2 Saxonici conjunx et generosa Ducis.
 3 Billionaeque tui generis Gotfride propago,
 4 majorum celebri stemmata clara fuit.
 5 Gotfrido, postquam Solyma rex factus in urbe est,
 6 spinea, regis honor, gesta corona fuit.
 7 Haec etiam caput est spinis redimita cruentum,
 8 facta crucis consors maesta Sibylla viro.
 9 Sed postquam terras vitae pertaesa reliquit,
 10 laetitia fruitur, contuituque Dei.
 11 Atque sui rursus pectus complexa mariti,
 12 gaudia percipiens non moritura, tenet.
 13 Hic ubi Gotfridus, David, sanctusque Josias
 14 te comitem adjungunt Jan Friderice sibi.
 15 Cum quibus alloquio dulci recreatur uterque
 16 conjuge cum dulci casta Sibylla suo.
 17 Historiamque suae memorant aetatis, et optant
 18 majorum natos incluta facta sequi.

EX SOPHOCLE. (3 vers en Grec)

E_5_27 Graece versus scripti.

VERTIT PHILLIPUS.

E_5_28 v.1 Ubi petulanter facere quod libet licet,
 2 legumque vox et ira vindicis Dei
 3 ridentur, ac inane nomen est pudor :
 4 magno ruet ventis secundis impetu,
 5 mox in profundum mersa tota civitas.

DE REVERENDO VIRO MARTINO LUTHERO DOCTORE THEOLOGIAE,
AD FILIUM MARTINUM LUTHERUM.

E_5_29 v.1 Mersa erat in taetras Ecclesia maesta tenebras,
2 ac tacuit dura lege sepulta fides.
3 Ne tamen humanum prorsus genus omne periret,
4 voce tui docuit nos Deus ipse patris.
5 Hic cum multa suae fidei monumenta dedisset
6 doctrinae spargens femina pura Dei.
7 In linguam nostram studuit transfundere fontes
8 et tantum lucis lectio nulla tenet.
9 Ergo Deum, pariterque Dei celebrare ministrum
10 perpetuo gratiae posteritatis erit.
11 Ac te praecipue patris novisse labores,
12 ipsiusque sequi jussa verenda decet.

EPITAPHIUM CONRADI MUSURI NORINBERGENSIS JURIS CONSULTI.

E_5_30 v.1 Hoc saxo tegitur Conradi corpus inane,
2 cui patrium fuerat Noricaberga solum.
3 Cognomenque vetus Musuri a stirpe paterna
4 conveniens studiis quod tamen ejus erat.
5 Nam fuit interpres legum custosque sacrarum,
6 quas vitae normam tradidit esse Deus.
7 Justificaque fide coluit te, maxime Christe,
8 sincero faciens pectora vota tibi.
9 Esse Deumque sciens aequalem aequalis amavit,
10 rexit et in dubio judicis ora foro.
11 Nunc morbo exstinctus, quod spe votisque petebat.
12 In gremio vivit, maxime Christe, tuo
13 hoc potuit conjunx monumentum fida marito,
14 non ficta Christum quae pietate colit.

EPIGRAMMATUM REVERENDI VIRI PHILIPPI MELANTHONIS LIBER SEXTUS

COLLECTUS ET EDITUS STUDIO ET OPERA PETRI VINCENTII VRATISLAVIENSIS.

EPITHALAMION ILLUSTRISSIMI PRINCIPI DUCI SAXIONAE IO. FRIDERICO,
ET INCLUTAE PRINCIPI AGNETAE FILIAE PRINCIPISSAE HESSORUM SCRIPTUM.

E_6_1 v.1 Amore flagrantissimo
2 sponsam suam tenerrimam
3 amat ceu sponsus unicam :
4 sic Gnatus unicus Dei

5 imago viva qui Patris
 6 vivensque semper est "logos".
 7 Massam naturae diligit
 8 humanae quam sibi induit.
 9 Idemque nos ceu surculos
 10 massae insitos amat suae
 11 et gestat in sinu suo.
 12 Hujus mirandi foederis
 13 vult esse conditor typum
 14 amorem dulcem conjugum.
 15 Amor sed ut castissimus
 16 in filio manet Dei :
 17 sic esse castas conjugum
 18 mentesque vult, et corpora.
 19 Et punit horrendis modis
 20 flammam libidinum vagas,
 21 castas et accipit preces,
 22 tegitque casta corpora.
 23 Vos ergo cum connubii
 24 Divina jura copulent,
 25 amorque justus pectora
 26 cum vestra jungat mutuo,
 27 Jan Friderice Saxonum
 28 Dux nobilissime, et patre
 29 prognate Principum optimo,
 30 tuque, Agne, stirpis Hassia
 31 decus, fruamini in Deo
 32 amore laeti mutuo.
 33 Vos servet et regat Deus.

AD IONAM.

E_6_2 v.1 Nunc de sideribus fatisque regentibus orbem
 2 Minguitia decus est gentis dicturus Erasmus,
 3 quem te, Jona, etiam prodest audire, tuoque
 4 officio studium juvenile accendere quondam,
 5 et parvam Jonam sic audiet ille vicissim
 6 idque hoc pro merito tibi se debere putabit.

DE COMITIIS AUGUSTANIS AD BERNHARDUM.

E_6_3 v.1 Dicere quam mallet tibi littera nostra salutem,
 2 hinc a Vindelica quae venit urbe, feret.
 3 Caesar ubi leges cunctis fert gentibus aequas,
 4 Carolus haud illo quem regit orbe minor
 5 quod toties Domino scribis Bernharde, mihique,
 6 nec sinis ex animo nos cecidisse tuo.
 7 Moribus ista tuis pietas est digna, fideque
 8 cognita quae multis casibus ante fuit.
 9 Hoc tamen officio coepit jam notior esse,
 10 quo nobis possit gratius esse nihil.
 11 Si quaeris rerum quae fit fortuna mearum
 12 accipe, de multis pauca referre volo.
 13 Nondum damnata est docti pia causa Lutheri,

14 Caesaris et nondum voce notata boni est.
 15 Nos tamen injustis odiis crudeliter urgent,
 16 Eccius atque isto saevior hoste Faber.
 17 Caesaris hi pectus, quo nil est mitius usquam,
 18 irritant miris artibus atque dolis.
 19 Ipse tamen Caesar cunctatur tardus ad iram,
 20 nec subito in cives tristia bella movet.
 21 Atque in difficili causa, quod principe dignum est,
 22 iudicium sapiens praecipitare cavet.
 23 Interea curis ego paene absumor acerbis,
 24 namque animum patriae saeva pericla movent.
 25 Nullaque sunt tantas inter solacia curas,
 26 has nisi Pontanus quod revelare studet.
 27 Quo nemo in tanto numero praestantior uno est
 28 eloquio, et veris perpetuisque bonis.
 29 Pulchrius haud videas inter spectacula quidquam,
 30 quae domino facit urbs officiosa suo.
 31 Quam cum dicturus Pontanus solverit ora,
 32 et regum attendit curia magna virum.
 33 Ipse suos oculos Caesar defigit in unum,
 34 et Deus unius pendet ab ore viri.
 35 Sic Ithaci eloquium mirata est Graecia quondam,
 36 quod velut hibernas fudit ab ore nives.
 37 Haec Bernharde Patris debes praeconia vera
 38 Pontanis etiam commemorare tuis.
 39 Ut patrias laudes primis mirentur ab annis,
 40 et virtute velint posse referre patrem
 41 totius exspectas conventus forsitan acta,
 42 sed mens aegra vetat scribere plura, vale.

THOMAE BLAURERO.

E_6_4 v.1 Iram Pelidae et Trojae miserabile fatum
 2 cum lego, Dulichios errores dicis Homeri,
 3 utile propositum cura esse videtur utrique,
 4 Maeonii vatis divina poemata nosse,
 5 quodque sit in rebus fortunae, quod rationis
 6 imperium, docto spectare in carmine, sed me
 7 nescio quis terere Iliaden modo casus adegit,
 8 praetuleris Ithacum, quanto tu rectius, audi.
 9 Pacis in hoc artes, meliorisque, optime Thoma
 10 officium cernes vitae, experientia quantum
 11 conferat ad mores, ac rerum longior usus.
 12 Quum mores hominum multorum lustrat et urbes,
 13 erratque in pelago, vehiturque procacibus Austris
 14 aequore, rex Ithacae patiens quid debeat audis
 15 vir sapiens patriae, cum hic fumum posse videre
 16 de patrio tecto votis ardentius optat.
 17 Vina monent Veneremque bonos contemnere sponsi
 18 Penelopes, et quis Circeia pocula mentem
 19 eripiunt, formasque novas medicamina fingunt.
 20 Moly suum vates mihi crede, poema vocavit,
 21 quo vim virtutis, speciemque, ostendit honesti.
 22 Hanc Dirae numquam, numquam mala toxica laedant.
 23 Dicis et immanes vinci ratione tyrannos,

24 cum falli Cyclopa vides, vimque arte repelli,
 25 stultorum regum viva est Polyphemus imago.
 26 Vanum etiam vulgus contemnere recta monente
 27 accipis, Aeolios vires cum stulta resolvit
 28 classis. Nulla suis vitae pars, optime Thoma,
 29 exemplis caret. O, cui fata dedere, beatum,
 30 Maeonii vatis divina poemata nosse,
 31 perge modo, ac animum felici pasce labore.

E_6_4B v.1 Nostra Venusinos cum vellet epistola versus
 2 exprimere, est propius, Thoma, imitata tuos.

CHILIANO.

E_6_5 v.1 Dum mea grammaticae conatur reddere lucem,
 2 detergitque atrum sedula cura situm.
 3 Dumque hoc ingenium vestro desudat honori,
 4 et nostri vobis pars, Chiliane, meret.
 5 Quaeso mihi nitidam scribendo mittite chartam,
 6 fide meas servet quae teneatque notas.
 7 Lipsica qualis erat calamo sat firma terenti,
 8 et qua non temere sepia nigra fluat
 9 nam qua nunc utor solita est confundere scripta,
 10 dignaque erat tantum versibus illa tuis.

LONGICAMPIANO.

E_6_6 v.1 Aurea dent alii monumenta Epireaque vasa,
 2 Saturnalicio Xenia grata Deo.
 3 Nos calamos damus, exiguum tibi munus, habere,
 4 has solas nobis esse putabis opes.
 5 Sit modo donantis mens candida, saepe redire
 6 munere pro parvo gratia magna solet.

GRINAEIO.

E_6_7 v.1 Est mihi quae scite Graiorum pingere possit
 2 penna notas, digitis apta futura tuis.
 3 Non Pharios umquam calamos praeponere possis,
 4 huc ades a nobis hoc tibi munus erit.

BETZIO.

E_6_8 v.1 Cum Demosthenis atque Luciani
 2 uno, Pete, volumine atque fasce
 3 jungis, seria vis jocis opinor
 4 urbanis lepidisque temperare.
 5 Sed si ludere vis probe et jocari,
 6 ponenda est Cynica ista barba, Pete.

APELLI.

E_6_9 v.1 Prandebit Fuchsus mecum gratissimus hospes,
 2 hic animaeque meae pars Joachimus erit.
 3 Addere convivam cupio te noster, Apelle,
 4 delectant illos non nisi, crede, boni.
 5 Ergo veni tecumque jocos adfero, salesque
 6 condimenta epulis illa futura meis.

ULIANO.

E_6_10 v.1 Scriptum Uliane tuo calamo mihi forte dedisti,
 2 exemplum causa nuper "Olynthiacae".
 3 A me de Graeco fuerat quae rhetore versa,
 4 et veteris Latii verbaque jusque capit.
 5 Inde manus docti artificis procudit in usum
 6 communem, nobis mille deditque libros.
 7 Bina tibi ex illis Uliane volumina mitto,
 8 et cupio gratum munus id esse tibi.
 9 Unum pro archetypo debebam scilicet haec est,
 10 Gratia pro merito reddita justa tuo.
 11 Alterum Hymelbergo dones, aequissimus ille
 12 in scriptis censor talibus esse solet.

IONAE.

E_6_11 v.1 Nobis munera grata sunt Iona
 2 quae nostro populo, mihique, mittis,
 3 nam sunt pignora mentis haec amicae,
 4 optabat sibi Zopyros tot esse,
 5 duro cortice punicum quot intus
 6 malum grana tegit, Darius olim,
 7 et fido mihi gratiora amico,
 8 quae sint munera nulla ferre possum.

ALIUD.

E_6_12 v.1 Non duraturas statuas et marmora quondam,
 2 Caesaribus dederat Martia Roma suis.
 3 Sunt mihi grata magis statuis et marmore, amici,
 4 pectore sincero qualiacumque dabunt.

GEORGIO BRENNER.

E_6_13 v.1 Ligna mihi dulces sucos sudantia mitte,
 2 certior est morbo nulla medela meo.
 3 Piniciani etiam librum mihi mitte Georgi,
 4 qui variis rebus nomina certa facit.
 5 Omnia habent inter sese communia amici,
 6 utor et officiis hinc ego saepe tuis.
 7 Et quamquam tua me vincat fortuna merendo,
 8 non tamen ingrato pectore dona fero.

DE APPELLATIONE 'SILOH' EPIGRAMMA SCRIPTUM ANNO 1556.

E_6_14 v.1 Magni consilii qui dicitur Angelus esse
 2 Aeterno natus de genitore "logos".
 3 Edidit Isacidae laeta haec oracula voce,
 4 cum fuit exilii duxque comesque seni.
 5 Non prius amittet sceptrum Judaea propago,
 6 quam veniet Siloh missus ab arce poli.
 7 Perpetuae reddet nobis qui gaudia vitae,
 8 crimina cum proprio vestra cruore luet.
 9 Cur tamen est dictus servator nomine Siloh ?
 10 Quod de virgineo nomine foetus erit.
 11 Et fragili similis chorio, pellique cruentae,
 12 in cruce cum tabo vulnera facta fluunt.
 13 Talis at est factus pro nobis fascia Christus,
 14 quamquam justitiae fons sine labe manet.
 15 Nos homines autem vere tam sordida massa,
 16 nos lacerum chorion, putre reumque sumus.
 17 Sed tu, gnate Dei, nostras etiam indue pelles,
 18 et vitam miseris infere fasciolis.
 19 Nec tamen hanc reddis, nisi qui tua dogmata discutunt.
 20 Tantum hanc ad vitam vis Deus esse viam.
 21 Ergo precor studia haec tu semper dirige, Christe,
 22 aeterno Siloh vera propago Patris.

IN PARELIA LATE IN UTRAQUE ALBIS RIPA CONSPECTA,
 ANNO 1551. DIE 21. MARTII QUAE FUIT NATALIS DUCIS MAURICII.

E_6_15 v.1 Spargit ut in toto lucem Sol unicus orbe,
 2 vivificoque unus cuncta calore fovet.
 3 Unicus aeterni sic natus mente parentis
 4 accendit radiis pectora nostra suis.
 5 Heu ! Cur plura tamen Solis simulacra videntur.
 6 Et vacuo mendax ludit imago polo ?
 7 Doctrina fingent aliqui ludibria forsan,
 8 adjicient alias dissidiisque faces.
 9 Sed tu, gnate Dei, longe mendacia pelle,
 10 concordem animos lux tua sola regat.

IN EFFIGIEM IO. FRIDERICI DUCIS SAXONIAE ELECTORIS
 TENENTIS MANU FLOSCULUM VIOLAE.

E_6_16 v.1 Hic me flos violae dextra quam gesto caduca,
 2 de nostra monet, et debilitate docet.
 3 Flosculus hic redolet nitidis pulcherrimus hortis,
 4 et tamen exiguo tempore durat odor :
 5 sic res humanas fragilis fortuna gubernat,
 6 tempore sic homines stantque caduntque brevi.
 7 Ille ego qui quondam felix mea regna tenebam,
 8 hic ubi Saxonicos irrigat Albis agros.
 9 Cujus erat totum celeberrima fama per orbem,
 10 quod regerem populos cum pietate meos.
 11 Quique ego pro patria pugnans et dogmata sacra
 12 defendens, clarum nomen ubique tuli.

13 Nunc me captivum tenet alter, et optima nobis
 14 cum sit, non ullo causa tuente, perit.
 15 Erepto fasces et inanis gloria Mundi,
 16 sed placuisse uni praefero posse Deo.
 17 Et mea dependet nunc a te gloria, Christe,
 18 quod pars sum regni quantulacumque tui.
 19 Teque precor dubiis addas solacia rebus,
 20 et mihi deserto mite levamen ades.

IN ANIMALIA PINGENTIA MONARCHIAS DANIELIS 7. (6 vers en Grec)

E_6_17 Graece versus scripti.

EPITAPHIUM GIBERTI LONGOLII DOCTORIS MEDICAE ARTIS,
 QUI MORTUUS DIE EST 30. MAII, ANNO 1543. COLONIAE AGRIPPINAE.

E_6_18 v.1 Hoc tegitur Saxo Giberti corpus inane
 2 Longoliae gentis qui fuit alter honos.
 3 Dicentem Ausonii vivo Cicerone probassent,
 4 tantus in eloquii flumine splendor erat.
 5 Et quae doctrinae fontes tenet Attica lingua,
 6 sic ipsi tamquam patria nota fuit.
 7 Naturae varios didicit motusque vicesque
 8 et quae feta hominum munera terra parit.
 9 Calluit et medicam dextreque exercuit artem,
 10 aegrotis solitus ferre frequenter opem.
 11 Pestis Agrippina cum grassaretur in urbe
 12 eripuit saevae corpora multa neci.
 13 Id meritum grati cives meminere, feruntque
 14 ac artem laudant officiumque viri.
 15 Dotibus his tantis castos adjungere mores,
 16 et studuit vera mente timere Deum.
 17 Huic tamen extincto quidam, qui templa gubernant
 18 jura sepulturae sancta locumque negant.
 19 Non aliquo talem meruit pro crimine poenam,
 20 sed quod Vera Dei jussa professus erat.
 21 Sola novi fuit iratis haec causa furoris,
 22 non Evangelii lumina ferre queunt,
 23 huc igitur Bonnam corpus venerabile Rhenus
 24 detulit adversis officiosus aquis.
 25 Et funus magno gemitum cum duceret istinc,
 26 dicitur a lacrimis intumuisse suis.
 27 Sed mens cara Deo, quod spe votisque petivit,
 28 nunc fruitur vultu, maxime Christe, tuo.

IN ITINERE VINARIENSI PRECATIO. (4 vers en Grec)

E_6_19 Graece versus scripti.

IN LOCOS COMMUNES postremae editionis. (6 vers en Grec)

E_6_20 Graece versus scripti.

IN EFFIGIEM IO. SCHONERI MATHEMATICI ANNO AETATIS EJUS XLIX.

E_6_21 v.1 Astrorum motus, et fata regentia mundum,
 2 qui norunt, multos Francica terra tulit.
 3 Hesperus at quanto quam cetera sidera fulget
 4 splendidior, vultus Sole tegente suos :
 5 tantum prae reliquis caput extulit unus et alter,
 6 saecula vix majus prisca tulere decus.
 7 Regius alter erat cui mons cognominis usum,
 8 et natale solum primaque tecta dedit.
 9 Qui procul Ausonia decessit in urbe Joannes,
 10 artis ibi specimen cum daret ipse suae.
 11 Alter ab hoc venit Schonerus laudibus artis,
 12 non tamen inferior, quam fuit ille suae.
 13 Nostra quoque his Ducibus peragrarunt lumina caelum
 14 Barbarico fuerant quae vitiata luto.
 15 Utque fere exstinctum revocavit uterque Mathesim,
 16 sic tantum peperit laudis uterque sibi.
 17 Terra tibi quantum Boeotica fortis Orion,
 18 et Libyca Atlanti debuit oresuo.
 19 Haec vero vultus Schoneri monstrat imago,
 20 ingenium libris exprimit ipse suis.

DE OFFICIIS SACERDOTIS. (2 vers en Grec)

E_6_22 Graece versus scripti.

IN RHESUM EURIPIDIS.

E_6_23 v.1 Absolvam regis Mysorum tristia fata,
 2 qui fertur Musa de genetrice satus.
 3 O utinam Musis caros hoc tempore haberet,
 4 et Rhesi similes Mysia terra duces.
 5 Pannonias Rhesus pacavit vindice dextra,
 6 et socio praesens tunc tulit Hector opem,
 7 nunc utinam mittant Rhesum, nunc Hectora Divi,
 8 qui saevos Turcas inde fugare queant.
 9 Cum Sol a summo paulum deflexerit axe,
 10 primaque cum caelo labitur hora, legam.

IN MORTEM ERASMI REINHOLDI SALVELDENSIS,
 MATHEMATICI ET PROFESSORIS IN ACADEMIA VITEBERGENSIS ANNO M.D.LIIII.
 (24 vers en Grec)

E_6_24 Graece versus scripti.

EX HOMERI 19. ODUSS.

(2 vers en Grec)

E_6_25 v.1 Talis mens hominum est, qualis fortuna dierum,

2 quam variis vicibus divina potentia mutat.

NAZIANZENI VERSUS.

(2 vers en Grec - passage très peu clair dans l'édition ancienne)

E_6_26 Graece versus scripti.

EX PLUTARCH.

(1 vers en Grec)

E_6_27 v.1 Gratium est si dederis, nec succensebo neganti.

EX THEOCRITO DUO VERSUS PAULUM IMMUTATI (2 vers en Grec)

E_6_28 Graece versus scripti.

STIGEL.

E_6_29 v.1 Nulla sit in versu cura laborque meo.

PHILIP.

E_6_30 v.1 Multa sit in versu cura laborque meo.

IN MATHEMATICAM CONSTRUCTIONEM PTOLEMAEI EDITAM AB ERASMO RHEINHOLDO.
(18 vers en Grec)

E_6_31 v.1 Graece versus scripti.

EPITAPHIUM SCRIPTUM

ILLUSTRISS. PRINCIPI & D. DOMINO GEORG. PRIN. ANHALDINO, COMITI ASCAN...
PRAEPOSITO MAGDEBURGENSI ET MISNENSI
PIE PLACIDEQUE VITA DEFUNCTO XVI. CALO. I. XBRIS. AN. CH.M.D. LIII.
CUM VIXISSET AN.XLVI.M.II.D.IIIII.H.XIIII.

E_6_32 v.1 Principis Ascania nati de stirpe Georgii,
2 quem cernis tumulus proximus ossa tegit.
3 Huic fuit Ernestus genitor, qui pacis amore
4 promeruit patriae totius esse pater.
5 Matris erat castae Monsterbergensis origo,
6 sincera coluit quae pietate Deum.
7 Ascaniae gentis virtus est clara triumphis,
8 ordine quos numerant saecula longa patrum.
9 Sed fuit huic fontes doctrinae discere cura,
10 quam nobis gnatus tradidit ipse Dei.
11 Hoc ad majorum decus addidit incluta facta,
12 praebuit et patriae commoda magna suae.
13 Esdras seu quondam populo jus dixit, et idem
14 interpret Solyma legis in urbe fuit.
15 Principis hic munus simul et Pastoris obivit,

16 ipsius mentem rexit et ora Deus.
 17 Justificaque fide capiens tua munera, Christe,
 18 solius est cujus parta cruore salus.
 19 Vera luce Deum agnovit precibusque vocavit,
 20 numinibus fictis mens inimica fuit.
 21 Nec virtutum umbras habuit, sed pectora rexit
 22 ipse Dei vivens assimilata "logos".
 23 Urbibus in multis flavus quas alluit Albis,
 24 et quas caerulei praeterit unda Salae.
 25 Agmina collegit Christum celebrantia, spargens
 26 pura Evangelii semina voce sua.
 27 Fidus et aetati venienti testis ut esset,
 28 de Christo patriae publica scripta dedit.
 29 Hic frater lacrimans Joachimus condidit ossa,
 30 vivit conspectu mens fruiturque Dei.
 31 O Deus Ascaniam stirpem servesque regesque,
 32 nulla venit nobis te nisi dante salus.
 E_6_32B v.1 Aeterni viva effigies splendorque parentis,
 2 custodem nobis quem pater esse dedit.
 3 Quique tibi semper victurum colligis agmen,
 4 ex hac quam finxit mole paterna manus.
 5 Nos rege qui cupimus veros tibi reddere honores.
 6 Adflatuque move pectora nostra tuo.
 7 Et nostras defende domos turbamque tenellam,
 8 a te quae solo poscere novit opem.
 9 Haec repetes toties rediens jam vota Georgi
 10 cum gnatum conjunx obvia prima feret.
 11 Conjugis in labris quoties dulcissima figis
 12 basia, purpureis filioli que genis.
 13 Istius ipse Deus transfudit femina amoris,
 14 non temere in sensus castaque corda Patrum.
 15 Ergo preces etiam probat inter suavia mixta,
 16 conjugibusque piis has jubet esse ratas.

GEORGIO FABRICIO 1553 (10 vers en Grec)

E_6_33 Graece versus scripti.

EDICTUM NOMINE RECTORIS ACADEMIAE PROPOSITUM SCOLASTICIS
 UT MUNUSCULA AD ARAM OFFERANT

E_6_34 v.1 Mens aeterna Deus, verax, bona, libera, justa,
 2 casta, volens similes nos etiam esse tibi.
 3 Vindicibus flammis tibi quae contraria deles,
 4 justitiae nam tu Regula sola manes.
 5 Corpora quae mundi verbo distincta creasti,
 6 exemplar quod vis ordinis esse boni.
 7 Quodque tua effigies est et de lumine lumen,
 8 quod tribuit nobis notitiamque tui.
 9 Et fragili indutum pro nobis victima carne,
 10 justitiae solvit debita "luxa" tuae,
 11 perpetuam et vitam fracta cervice Draconis,
 12 restituit nobis agnitione sui.
 13 Quodque tui spargit flammam in pectora flatus.

14 Pura Evangelii voce sonante tui.
 15 Talia ut in nobis sint casti incendia cordis :
 16 optimus est qualis spiritus ipse Dei.
 17 Te precor omnipotens mundique hominumque creator,
 18 voce tua nobis et patefacte Deus.
 19 Quamvis justa, tamen nobis tua parcat ut irae,
 20 quam gnati placant vota cruorque tui.
 21 Perque ipsum semper nos inter collige coetum,
 22 in quo sit veri gloria nota Dei.
 23 Hic Sol justitiae, nos ut tua simus imago
 24 nostra sibi adsimilet pectora luce sua.
 25 Nosque tuo flatu moneatque regatque petentes,
 26 urat hic ut mentes ignis amore Dei.
 27 Haec omnes mecum faciant ardentia vota,
 28 seque petant inter cuncta pericla regi.
 29 Gratia sed quoniam debetur justa docenti,
 30 qui recte monstrat munera summa Dei.
 31 Ergo Pastores ut sit reverentia nota,
 32 prosit et exemplo nos monuisse rudes.
 33 Quisque manu casta castas adportet ad aras,
 34 ut decet officio debita signa pii.

IN PICTURAM WITEBERGAE

E_6_35 v.1 Parva domus viduae vatem quae pavit Eliam,
 2 vix bene Sidonio litore nota fuit.
 3 Inde tamen late divini femina verbi,
 4 auspice per populos sparsa fuere Deo :
 5 sic patriam Senones ubi sedem habuere vetusti,
 6 quae nunc Saxonico subdita terra duci est
 7 urbs non magna quidem gelida Witeberga sub Arcta,
 8 adjacet ad ripas Albi vadose tuas.
 9 Hinc tamen extremi sub turbida tempora mundi,
 10 lux Evangelii sustulit orta jubar.
 11 Claraque divino radios augente favore,
 12 per multas passim lucet in orbe plagas.
 13 Da Deus ulterius successum et suffice vires,
 14 et tua contra omnes affere dona minas.
 15 Atque Evangelii plures ut voce vocati,
 16 sincera facias te pietate colant.
 17 Et velut hospitium servasti vatis Eliae,
 18 doctrinae quod tunc arx fuit una tuae.
 19 Sic etiam ut celebrent saecula hic venientia Christum,
 20 Albidos in ripis templa, scholamque rege.

DE COMETA QUI FUIT CONSPECTUS ANNO 1556

E_6_36 v.1 Ostendit terris et in aere multa sereno
 2 irrita nequaquam signa futura, Deus.
 3 Signaque naturae quae non imitantia leges
 4 portendunt subitum non procul esse malum.
 5 Vidimus hoc anno rapidum flagrare cometen,
 6 sulcantem dubias multa per astra vias.
 7 Quodque fuit mirum vicino sole cometae

8 cum soleant primas arripuisse faces ;
 9 non prius accensos hic cepit spargere crines,
 10 astrorum quam dux e regione stetit.
 11 Aequabat motu Phoebus noctemque diemque
 12 uadaque purpurei tempora veris erant :
 13 halitus e molli sublatus ad aethera terra,
 14 cum rutilae specimen cepit habere comae.
 15 Primum, qua caeli "protrugethes" parte refulget,
 16 semina flammaram conspicienda dedit.
 17 Altius Arcturi mox ad fastigia pergit,
 18 sub rapido nullas dum facit axe moras.
 19 Denique sicca super Cynosurae sidera vectus,
 20 occupat Arctoae signa suprema plagae.
 21 Inde gradum retro facit, et quae noster horizon
 22 astra capit cursu proximior legat.
 23 Ac simul Auroram petit, Eoumque cubile,
 24 Phoebus anhelantes unde reducit equos.
 25 Hic subit Iasiden, et quae te trans vada ponti
 26 aerium Perseu carpere fecit iter.
 27 Candida cornigeri Phoebus jam limina Tauri,
 28 nec modo Phrixiae vellus habebat ovis :
 29 protinus illius vestigia trita Cometes
 30 arripit, et Soli sidera juncta tenet.
 31 Hoc iter errantis multi videre Cometae,
 32 qui fera Teutonicis damna minatur agris,
 33 sunt anni decies octo, quo tempore vixit
 34 dux qui Burgundas Carolus auxit opes ;
 35 tunc in suprema similis regione Cometes
 36 aeris, horrifico miscuit igne comam.
 37 Is motu simili sese per inane volutans,
 38 permensus caeli climata multa fuit.
 39 Astraeae primum tenuit confinia Librae,
 40 Arctoi petiit culmina deinde poli.
 41 Sed remeans illinc, medium qua circulus orbem
 42 dividit, astrigeram lumine texit ovem.
 43 Nulla aetas vidit flagrantem impune cometen,
 44 non leve venturum nuntiat ille malum.
 45 Tunc quoque crebra tulit summis incommoda regnis,
 46 civiles motus, publica damna tulit.
 47 Quippe secuturas strages, tristesque ruinas,
 48 atque tuae retulit, Carole, signa necis.
 49 Proxima vix ea post incendia venerat aestas,
 50 Carolus Helvetico caesus ab hoste cadit.
 51 Tu quoque Tisiphone mundi, tu dirus Alastor,
 52 pestis et immensi fax Mahomete mali,
 53 paulo post fugiens cecidisti Hydrunte relicta :
 54 tandem blasphemus opprimit ira Dei.
 55 Nunc quoque blasphemus tangent Turcosque Papamque
 56 adproperans Nemesis, iudiciumque Dei.
 57 Dogmata turbabit, passim sterilescere campos
 58 coget, et adducet tempora dura famis.
 59 Sed quaeramus opem divinitus, atque precemur
 60 Aeterno gnatum de genitore "logou".
 61 Filius Aeterni "logos", effigiesque parentis,
 62 assiduus custos agminis ipse sui.
 63 Defendet sanctos inter mala plurima mundi,

64 qui mitem toto corde precantur opem.
 65 Cura sit interea vitam coluisse modestam
 66 omnibus et verbi discere jura sacri.

DE ECLIPSI QUAE FUIT DIE XII APRILIS ANNO MDXLIX

E_6_37 v.1 Non fertur dubio natura sine ordine case,
 2 volvitur ambiguus ut Dea caeca rotis.
 3 Sed Deus hanc sapiens certis moderatur habenis,
 4 turpia qui punit vindice facta manu.
 5 Praemonet et scelerum poenas instare timendas,
 6 ostendens irae nuntia multa suae.
 7 Talia non ullo sunt irrita tempore signa,
 8 haec licet irridens impia turba neget.
 9 Dum tegit obscura Phoebum caligine Luna,
 10 duraque dum taetro saxa cruore madent.
 11 Dulichii juvenes minitanti sidera rident,
 12 Penelopes castum qui petiere torum.
 13 Ultio sed risum Sardoum justa secuta est,
 14 qualis contempti Numinis esse solet.
 15 Sic tandem meritas persolvent tempore poenas,
 16 qui spernent Triviae signa futura nigrae.
 17 Cynthia cras etenim piceis obducta tenebris
 18 amittet radii lumina clara sui.
 19 Mane ubi jam noni continget lumina tecti,
 20 quo pandis chelas Scorpius ipse suas.
 21 Et cum nona domus sit Religionis, et ingens
 22 hauriat a Luna deficiente malum :
 23 hei nova doctrina metuo certamina Christi,
 24 quae seret ingeniis impia turba suis.
 25 Inficiens animos cauda vibrante feroces,
 26 dissidiis addet Scorpius arma novis.
 27 Sed licet astra regant homines, et bella minentur,
 28 ipse tamen summa Christus in arce sedet.
 29 Hic non est rigido Parcarum carcere clausus,
 30 sed lenire potest fata severa piis.
 31 Ergo gravem castis flectamus moribus iram,
 32 orantes summam supplice voce Patrem.
 33 Mitiget ut miseris haec tanta pericula nobis,
 34 et servet coetus languida membra sui,

EPITAPHIUM FILIOLI WOLFGANGI DIFFSTETERI
 QUONDAM PRAEFECTI ARCIS WITEBERGENSIS

E_6_38 v.1 Ad te cum jubeas infantes, Christe, venire,
 2 talibus et tribuas dulcia regna poli :
 3 excipias Wolfgangi animam salvesque tenellam,
 4 ex Diffstetero qui patre natus erat.
 5 Reddere te vitam cum norint, Christe, parentes,
 6 commendant sese, filiolumque tibi.

IN MEMORIAM PHILIPPI MELANTHONI, A JOACHIMO CAMERARIO

E_6_39 v.1 Vitam fortunasque suas studiumque laboris,
 2 quique operae sanctam, consiliique fidem
 3 impendit divina tuis Ecclesia rebus,
 4 teque pius varia juvit et auxit ope :
 5 hac in parte sibi post mortem structa Melanthon,
 6 communi in luctu, busta, Philippus habet.
 7 Quae templi foribus magni vicina Lutheri,
 8 e regione solum, quod tegit ossa, videt,
 9 Bretta hunc vitales natum produxit in oras,
 10 Bretta Palatini limes amoenus agri.
 11 Unde propinqua petens adiit, bonitate suorum,
 12 diverso Aonidum templa sacrata loco.
 13 Ludus cum puerum accepit Phorcenidos urbis,
 14 Eytelbergiaci mox schola gymnasii.
 15 Doctrinae hinc fecit juvenem alma Tubinga magistrum
 16 eximium laudis gessit ubi ille decus.
 17 Unde triumphator Monachorum Capnio jussit
 18 Albidos hunc ripam visere Saxonici.
 19 Tunc nova dux Friderichus ubi collegia Musis
 20 Romani fundans Ensifer Imperii.
 21 Undique conductis praestanti laude parabat
 22 artis et ingenii reddere clara viris
 23 hic socio ipso annis viginti octoque Lutheri,
 24 Wittembergiacae res fuit ampla Scholae.
 25 Quam septem bis adhuc provexit deinde gubernans,
 26 fluctivagam ut vastum per mare nauta ratem.
 27 Heu tempestates quas hic perpessus, et ad quam,
 28 saevos haec scopulos acta carina fuit.
 29 Quantum externi odii, quantum invidiaeque suorum,
 30 ingratorum hominum quae maledicta tulit ?
 31 Ipse tamen quamvis reflantibus undique ventis,
 32 directum est, retinens vera, secutus iter.
 33 Fortia nec clamore latrantis pectora turbae,
 34 nec vulgus strepitu movit inane suo.
 35 Summa petit livor, nemo hunc superare nisi ipse
 36 posset, si studiis otia suppeterent.
 37 Ista sub obliquo norunt quoque Sole locati,
 38 quique sub opposito forsitan axe jacent.
 39 Scripta sed illius memorabilia inter, et acta
 40 plurima, quae solidae nomina laudis habent :
 41 unum opus eximium est, fidei confessio sanctae,
 42 ante tuos Caesar Carole lecta pedes.
 43 Languida qua Christi jamdudum Ecclesia nitens
 44 rursus audet vultus tollere laeta suos.
 45 Concurrant inimici omnes licet undique, hic unus
 46 confutare potest improba dicta liber.
 47 Ac tua nunc terris floret bona fama, Philippe,
 48 vivit et aeternum Spiritus ante Deum.
 49 Corpus at exanimum tumulo hoc requiescit humatum,
 50 condecorant grate quem monumenta schola :
 51 ille quod expletis senio, curisque gravatum,
 52 sexaginta annis exuit atque tribus ;
 53 sic, morbo ut paucis nisi debilitante diebus,
 54 muneri officium fecerit omne sui.

55 Atque olim aetherias veniet revocatus in auras,
56 integer et mortis liber ab inde metu.
57 Sancte vir, et salve pater optime, te tua semper
58 nos soboles merita religione colet,
59 doctrinae nobis verae tu doctor et auctor,
60 haec tua clara aetas munera lucis habet.
61 Salve iterum atque iterum tua nos immota manebit,
62 semper apud memores gloria, nomen, honos.